124

HINC · LVCEM · ET · POCVLA · SACRA

ALMA
MATER
CANTA
BRIGIA

XXVIII. 4. ρ3
K.2.

CONFESSIO FIDEI
IN
Conventu Theologorum authoritate
Parliamenti Anglicani indicto
Elaborata;
Eidem Parliamento poſtmodum
Exhibita;
Quin & ab eodem, deindéq; ab Eccleſia Scoticana
Cognita & Approbata;

BIBLIOTECA NA[Z.] ROMA VITTORI[O] EM[ANUELE]

Unà cum
CATECHISMO
duplici, *Majori, Minorique*;

E ſermone Anglicano ſumma cum fide
ex libris [?] in *Latinum verſa.* Bibliotheca [?]
D. D. Caroli De Pradel episcopi Monsp [?]

CANTABRIGIÆ:
Excudebat *Johannes Field*, celeberrimæ Academiæ Typographus.
Anno Dom. MDCLIX.

Ad Lectorem præmunitio.

Benigne Lector;

MOnendus eras unum atq; alterum; & quidem imprimis illud, nos multo conſilio in ea tandem ſententia deſediſſe, in capitum verſuúmque numeris margini aſsignandis à verſione Bibliorum *Anglicana* non eſſe quicquam recedendum; à qua quidem quàm proximè abeſt Latina *Vatabli*. Deinde verò ſi oratio noſtra minùs fluere tibi videatur, dabis id profectò materiæ ſpiſsitudini; ſin minùs ſplendida, cogita ſolennitatem. Hæc tuâ te ſcire intererat, & certè quidem noſtrâ. *Vale.*

G. D.

Confeſsionis Capita.

Cap. 1 DE *Scriptura ſacro-ſancta* Pag. 1
2 *De Deo, & Sacro-ſancta Trinitate.* 8
3 *De æterno Dei decreto* 11
4 *De Creatione* 14
5 *De Providentia* 15
6 *De hominis lapſu, de peccato ejúsque pœna* 18
7 *De Fœdere Dei cum homine* 20
8 *De Chriſto Mediatore* 23
9 *De libero arbitrio* 27
10 *De vocatione efficaci* 28
11 *De Juſtificatione* 30
12 *De Adoptione* 33
13 *De Sanctificatione* 34
14 *De Fide ſalvifica* 35
15 *De Reſipiſcentia ad vitam* 37
16 *De bonis operibus* 39
17 *De perſeverantia ſanctorum* 42
18 *De certitudine gratiæ & ſalutis* 44
19 *De lege Dei* 46
20 *De libertate Chriſtiana déque libertate Conſcientiæ* 50

21 *De*

21 *De cultu religioſo , & De ſabbato* Pag. 53
22 *De Juramentis votiſque licitis* 57
23 *De Magiſtratu civili* 60
24 *De Conjugio & Divortio* 63
25 *De Eccleſia* 65
26 *De Communione Sanctorum* 68
27 *De Sacramentis* 69
28 *De Baptiſmo* 71
29 *De cœna Domini* 73
30 *De cenſuris Eccleſiaſticis* 77
31 *De Synodis & Conciliis* 79
32 *De ſtatu hominum poſt mortem, déque Reſurrectione mortuorum* 81
33 *De ultimo Judicio* 82

Con-

Confeſsio Fidei.

Cap. I.

De Scriptura Sacro-ſancta.

§ I. Quanquam naturæ lumen; operáque Dei cùm Creationis tum Providentiæ, bonitatem ejus, Sapientiam, potentiámque eò uſque manifeſtant, ut homines vel inde reddantur inexcuſabiles [a]: eam tamen Dei, voluntatíſque divinæ cognitionem, quæ porrò eſt ad ſalutem neceſſaria, nequeunt nobis ingenerare[b]. Quocirca Domino complacitum eſt, variis quidem modis vicibúsq; Eccleſiæ ſuæ ſemetipſum revelare; ſuámque hanc voluntatem patefacere [c]; ſed & eandem omnem poſtea literis conſignare, quò & veritati ſuæ tam conſervandæ quàm propagandæ meliùs conſuleret; nec Eccleſia ſua contra

[a] *Rom.* 2. 14, 15. *Rom.* 1. 19, 20. *Pſal.* 19. 1, 2, 3. *Rom.* 1. 32. cum cap. 2. 1.
[b] 1 *Cor.* 1. 21. 1 *Cor.* 2. 13, 14.
[c] *Heb.* 1. 1.

carnis corruptelam, contra malitiam mundi Satanæque præſidio foret ac ſolatio deſtituta [d]. Unde factum eſt, ut, poſtquam priſtini illi modi, quibus olim populo ſuo Deus voluntatem ſuam revelabat, jam deſiverint [e], Scriptura Sacra ſit maximè neceſſaria [f].

[d] *Prov.* 22. 19, 20, 21. *Luc.* 1., 3, 4. *Rom.* 15. 4. *Mat.* 4. 4, 7, 10. *Iſa.* 8. 19, 20. [e] *Heb.* 1. 1, 2. [f] 2 *Tim.* 3. 15. 2 *Pet.* 1. 19.

§ II. Sacræ Scripturæ nomine, ſeu verbi Dei ſcripti continentur hodie omnes illi libri tam Veteris quàm Novi Inſtrumenti, nempe quorum inferiùs ſubſequuntur nomina.

Veteris Teſtamenti.

Geneſis	*Regum* 1.
Exodus	*Regum* 2.
Leviticus	*Chronicorum* 1.
Numeri	*Chronicorum* 2.
Deuteronomium	*Ezra*
Joſua	*Nehemias*
Judices	*Eſther*
Ruth	*Job*
Samuelis 1.	*Pſalmi*
Samuelis 2.	*Proverbia*

Eccle-

Eccleſiaſtes
Canticum Canticorum
Iſaias
Jeremias
Lamentationes
Ezechiel
Daniel
Hoſea
Joel
Amos
Obadias
Jonas
Micheas
Nahum
Habacuc
Zephenias
Haggæus
Zecharias
Malachias.

Novi autem.

Evangelium ſecundum
M*atthæum*
Marcum
Lucam
Johannem
Acta Apoſtolorum
Pauli Epiſtolæ ad
Romanos
Corinthios I. II.
Galatas
Epheſios
Philippenſes
Coloſſenſes
Theſſalonic. I. II.
Timotheum I. II.
Titum
Philemonem
Epiſt. ad Hebræos
Jacobi Epiſtola
Petri Epiſt. I. II.
Johan. Ep. I. II. III.
Judæ Epiſtola
Apocalypſis.

Qui omnes divinâ inſpiratione dati ſunt in Fidei vitæque regulam [g].

g Luc. 16. 29, 31. Eph. 2. 20. Apoc. 22. 18, 19. 2 Tim. 3. 16.

§ III. Libri Apocryphi, vulgò dicti, quum non fuerint divinitùs inſpirati, Canonem Scripturæ nullatenùs conſtituunt; proindéque nullam aliam authoritatem obtinere debent in Eccleſia Dei, nec aliter quàm alia humana ſcripta, ſunt aut approbandi aut adhibendi [h].

h Luc. 24. 27, 44. Rom. 3. 2. 2 Pet. 1. 21.

§ IV. Authoritas Scripturæ ſacræ propter quam ei debetur fides & obſervantia, non ab ullius aut hominis aut Eccleſiæ pendet teſtimonio, ſed à ſolo ejus authore Deo, qui eſt ipſa veritas: eóque eſt à nobis recipienda, quoniam eſt verbum Dei [i].

i 2 Pet. 1. 19, 21. 2 Tim. 3. 16. 1 Joh. 5. 9. 1 Theſſ. 2. 13.

§ V. Teſtimonium Eccleſiæ efficere quidem poteſt ut de Scriptura ſacra quàm honorificè ſentiamus [k]; materies inſuper ejus cœleſtis, doctrinæ vis & efficacia, ſtyli Majeſtas, partium omnium conſenſus, totiúsque ſcopus,

k 1 Tim. 3. 15.

pus, (ut Deo nempe omnis gloria tribuatur) plena denique quam exhibet unicæ ad ſalutem viæ commonſtratio, præter alias ejus virtutes incomparabiles, & perfectionem ſummam, argumenta ſunt quibus abundè ſe verbum Dei & luculenter probat; nihilominùs tamen plena perſuaſio & certitudo de ejus tam infallibili veritate, quàm authoritate divina non aliunde naſcitur quàm ab interna operatione Spiritûs Sancti, per verbum & cùm verbo ipſo in cordibus noſtris teſtificantis[l].

[l] 1 *Joh.* 2. 20, 27. *Joh.* 16. 13, 14. 1 *Cor.* 2. 10, 11, 12. *Iſai.* 59. 21.

§ VI. Conſilium Dei univerſum de omnibus quæ ad ſuam ipſius gloriam, quæque ad hominum ſalutem, fidem, vitámque ſunt neceſſaria, aut expreſsè in Scriptura continetur, aut conſequentiâ bonâ & neceſſariâ derivari poteſt à Scriptura; cui nihil deinceps addendum eſt, ſeu novis à ſpiritu revelationibus, ſive traditionibus hominum[m]. Internam nihilominùs illuminationem Spiritûs Dei ad ſalutarem eorum perceptionem, quæ in ver-

[m] 2 *Tim.* 3. 15, 16, 17. *Gal.* 1. 8, 9. 2 *Theſ.* 2. 2.

bo Dei revelantur, agnoſcimus eſſe neceſſariam [n]: quinetiam nonnullas eſſe circumſtantias cultum Dei ſpectantes & Eccleſiæ regimen, iis cum humanis actionibus & ſocietatibus communes, quæ naturali lumine ac prudentiâ Chriſtianâ ſecundùm generales verbi regulas (perpetuò quidem illas obſervandas) ſunt regulandæ [o].

[n] Joh. 6. 45. 1 Cor. 2. 9, 10, 12.

[o] 1 Cor. 11. 13, 14. 1 Cor. 14. 26, 40.

§ VII. Quæ in Sciptura continentur non ſunt omnia æquè aut in ſe perſpicua, aut omnibus hominibus evidentia [p]: ea tamen omnia quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt cognitu, creditu, obſervatu, adeo perſpicuè, alicubi ſaltem in Scriptura, proponuntur & explicantur, ut eorum non docti ſolùm, verùm indocti etiam ordinariorum debito uſu mediorum, ſufficientem aſſequi poſſint intelligentiam [q].

[p] 2 Pet. 3. 16.

[q] Pſal. 119. 105, 130.

§ VIII. Inſtrumentum Vetus Hebræâ linguâ (antiquo Dei populo nempe vernaculâ) Novum autem Græcâ, (ut quæ apud Gentes maximè omnium

omnium tunc temporis, quum ſcriberetur illud, obtinuerat) immediatè à Deo inſpirata, ejúſque curâ & Providentiâ ſingulari per omnia huc uſque ſecula pura & intaminata cuſtodita, ea propter ſunt authentica [r]. adeo ſanè ut ad illa ultimò in omnibus de religione controverſiis Eccleſia debeat appellare [ſ]. Quoniam autem Originales iſtæ linguæ non ſunt toti Dei populo intellectæ, (Quorum tamen & jus eſt ut ſcripturas habeant, & intereſt plurimùm, quíque eas in timore Dei legere jubentur & perſcrutari [t]) proinde ſunt in vulgarem cujúſque Gentis, ad quam pervenerint linguam transferendæ [u], ut omnes, verbo Dei opulenter in ipſis habitante, Deum grato acceptóque modo colant [*], & per patientiam ac conſolationem Scripturarum ſpem habeant [x].

[r] *Matt.* 5. 18.

[ſ] *Iſai.* 8. 20. *Act.* 15.15. *Joh.* 5.39,46.

[t] *Joh.* 5. 39.

[u] 1 *Cor.* 14. 6, 9, 11, 12, 24, 27, 28.

[*] *Col.* 3. 16.

[x] *Rom.* 15. 4.

§ IX. Infallibilis Scripturam interpretandi regula eſt Scriptura ipſa. Quoties igitur cunque oritur quæſtio de vero plenóque Scripturæ cujuſvis ſenſu, (unicus ille eſt non

multiplex) ex aliis locis, qui apertiùs loquuntur, eſt indagandus & cognoſcendus [y].

[y] 2 Pet. 1. 20, 21. Act. 15. 15, 16.

§ X. Supremus judex, à quo omnes de religione controverſiæ ſunt determinandæ, omnia Conciliorum decreta, opiniones Scriptorum Veterum, doctrinæ deniquc hominum, & privati quicunque Spiritus ſunt examinandi, cujúſque ſententiâ tenemur acquieſcere, nullus alius eſſe poteſt, præter Spiritum Sanctum in Scriptura pronunciantem [z].

[z] Mat. 22. 29, 31. Eph. 2. 20. cum Act. 28. 25.

Cap. II.

De Deo & Sacro-ſancta Trinitate.

§ I. Unus eſt unicúſque [a], vivens ille & verus Deus [b]: qui idem eſt eſſentiâ & perfectione infinitus [c], Spiritus puriſſimus [d], inviſibilis [e], ſinè corpore, ſinè partibus [f], ſinè paſſionibus [g], immutabilis [h], immenſus [i], æter-

[a] Deut. 6. 4. 1 Cor. 8. 4, 6. [b] 1 Theſ. 1. 9. Jer. 10. 10. [c] Job. 11. 7, 8, 9. Job. 26. 14. [d] Joh. 4. 24. [e] 1 Tim. 1. 17. [f] Deut. 4. 15, 16. Joh. 4. 24 cum Luc. 24. 39. [g] Act. 14. 11, 15. [h] Jac. 1. 17. Mal. 3. 6. [i] 1 Reg. 8. 27. Jer. 23. 23, 24.

æternus [k], incomprehenſibilis [l], omnipotens [m], ſummè ſapiens [n], ſummè ſanctus [o], liberrimus [p], maximè abſolutus [q]; operans omnia ſecundùm conſilium immutablis ſuæ ac juſtiſſimæ voluntatis [r], ad ſuam ipſius gloriam [s]; idemque ſummâ benignitate [t], gratiâ, miſericordiâ, & longanimitate; bonitate abundans & veritate; condonans iniquitatem, tranſgreſſionem & peccatum [u]; ſtudioſè quærentium ipſum remunerator [*], ſed & in judiciis ſuis juſtiſſimus idem ac tremendus maximè [x]; peccatum omne peroſus [y], & qui ſontem nullo unquam abſolvet modo [z].

[k] Pſal. 90. 2.
[l] Tim. 1. 17.
[l] Pſal. 145. 3.
[m] Gen. 17. 1.
Apoc. 4. 8.
[n] Rom. 16. 27.
[o] Iſai. 6. 3.
Apoc. 4. 8.
[p] Pſal. 115. 3.
[q] Exod. 3. 14.
[r] Eph. 1. 11.
[s] Prov. 16. 4.
Rom. 11. 36.
[t] 1 Joh. 4. 8, 16.
[u] Exod. 34 6, 7.
[*] Hb. 11. 6.
[x] Nehem. 9. 32, 33.
[y] Pſal. 5. 5, 6.
[z] Nah. 1. 2, 3.
Exod. 34. 7.

§ II. Omnem vitam [a], omnem gloriam [b], bonitatem [c], beatitudinémq; [d] omnem in ſeſe habet & à ſeipſo Deus; qui ſolus in ſe ſibíque eſt ad omnia ſufficiens; creaturarum, quas ipſe condidit, nullius egens [e], nec gloriam ab eis derivans ullam [f], verùm in iis, per eas, iis ipſis, ac ſuper eas propriam ipſius gloriam tantummodò manifeſtans. Is omnis entitatis fons eſt unicus, à quo, per quem, & ad quem

[a] Joh 5. 26.
[b] Act. 7. 2.
[c] Pſal. 119 68.
[d] 1 Tim. 6. 15.
Rom. 9. 5.
[e] Act. 17. 24, 25.
[f] Job. 22. 2, 3.

quem omnia [g]; ſummúmque in ea dominium habet, ac per illa, pro illis, in illa pro ſuo arbitrio quidlibet agendi poteſtatem [h]. In conſpectu ejus aperta ſunt omnia ac manifeſta [i]; ſcientia ejus infinita eſt, infallibilis, atque à creatura independens [k], adeò ut illi contingens incertúmve nihil ſit [l]; in omnibus ejus conſiliis, operibus & mandatis eſt ſanctiſſimus [m]. Quicquid cultûs, quicquid officii, quicquid obſequii ab Angelis illi, ab hominibus, aut à quavis alia creatura exigere placet, id illi omne jure optimo debetur [n].

§ III. In Deitatis unitate perſonæ tres ſunt unius ejuſdemque eſſentiæ, potentiæ, ac æternitatis; Deus Pater, Deus Filius, ac Deus Spiritus Sanctus [o]. Pater quidem à nullo eſt, nec genitus nempe nec procedens: Filius autem à Patre eſt æternè genitus [p]: Spiritus autem Sanctus æternè procedens à Patre Filióque [q].

[g] *Rom.* 11 36.
[h] *Apoc.* 4. 11. 1 *Tim.* 6.15. *Dan.* 4.25, 35.
[i] *Heb.* 4. 13.
[k] *Rom.* 11. 33, 34. *Pſal.* 147. 5.
[l] *Act.* 15. 18. *Ezech.* 11. 5.
[m] *Pſal.* 145. 17 *Rom.* 7. 12.
[n] *Apoc.* 5. 12, 13, 14.
[o] 1 *Joh.* 5, 7. *Mat.* 3. 16, 17. *Mat.* 28. 19. 2 *Cor.* 13. 14.
[p] *Joh.* 1. 14, 18.
[q] *Joh.* 15. 26. *Gal.* 4. 6.

Cap. III.

De æterno Dei Decreto.

§ 1. Deus, è ſapientiſſimo ſanctiſſimóque conſilio voluntatis ſuæ, liberè ac immutabiliter, quicquid unquam evenit, ab omni æterno ordinavit [a]; ità tamen, ut indè nec author peccati evadat Deus [b], nec voluntati creaturarum ſit vis illata, neque libertas aut contingentia cauſarum ſecundarum ablata ſit, verùm potiùs ſtabilita [c].

[a] Eph. 1. 11. Rom. 11. 33. Heb. 6. 17. Rom. 9. 15, 18. [b] Jac. 1. 13, 17. 1 Joh. 1. 5. [c] Act. 2. 23. Mat. 17. 12. Act. 4. 27, 28. Joh. 19. 11. Prov. 16. 33.

§ 2. Quamvis omnia cognoſcat Deus, quæ ſuppoſitis quibuſvis conditionibus ſunt eventu poſſibilia [d]; non tamen ideò quicquam decrevit quoniam illud præviderat aut futurum, aut poſitis talibus conditionibus eventurum [e].

[d] Act. 15. 18. 1 Sam. 23. 11, 12. Mat. 11. 21, 23. [e] Rom. 9. 11, 13, 16, 18.

§ 3. Deus, quò gloriam ſuam manifeſtaret, nonnullos hominum ac Angelorum [f] decreto ſuo ad æternam vitam prædeſtinavit, alios autem ad mortem æternam præordinavit [g].

[f] 1 Tim. 5. 21. Mat. 25. 41. [g] Rom. 9. 22, 23. Eph. 1. 5, 6. Prov. 16. 4.

§ 4. Prædeſtinati illi & præordinati

nati homines Angelíque, particulariter ſunt ac immutabiliter deſignati, certúſque illorum eſt ac definitus numerus, adeò ut nec augeri poſſit nec imminui [h].

§ 5. Qui ex humano genere ſunt ad vitam prædeſtinati, illos Deus ante jacta mundi fundamenta, ſecundùm æternum ſuum ac immutabile propoſitum, ſecretúmque voluntatis ſuæ conſilium & beneplacitum elegit in Chriſto ad æternam gloriam [i], ídque ex amore ſuo & gratia merè gratuita; nec fide, nec bonis operibus, nec in his illáve perſeverentiâ, ſed neque ullâ aliâ re in creatura, prævifis, ipſumtanquam cauſis aut conditionibus ad id moventibus [k]; quò totum nempe in laudem cederet glorioſæ ſuæ gratiæ [l].

§ 6. Quemadmodum autem Deus electos ad gloriam deſtinavit, ſic omnia etiam quibus illam conſequantur media præordinavit, voluntatis ſuæ propoſito æterno ſimul & liberrimo [m]. Quapropter electi, poſtquam lapſi eſſent in Adamo, à Chriſto ſunt redempti [n]; per Spiritum ejus, opportuno tempore

[h] 2 Tim. 2. 19. Joh. 13. 18.

[i] Eph. 1. 4, 9, 11. Rom. 8. 30. 2 Tim. 1. 9. 1 Theſ. 5. 9.

[k] Rom. 9. 11, 13, 16. Eph. 1. 4, 5.

[l] Eph. 1. 6, 12.

[m] 1 Pet. 1. 2. Eph. 1. 4, 5. Eph. 2. 10. 2 Theſ. 2. 13.

[n] 1 Theſ. 5. 9, 10. Tit. 2. 14.

tempore operantem, ad fidem in Chriſtum vocantur efficaciter; juſtificantur, ſanctificantur [o], & potentiâ ipſius per fidem cuſtodiuntur ad ſalutem [p]. Nec alii quivis à Chriſto redimuntur, vocantur efficaciter, juſtificantur, adoptantur, ſanctificantur & ſalvantur, præter electos ſolos [q].

[o] *Rom.* 8.30. *Eph.* 1.5. 2 *Theſſ.* 2.13.
[p] 1 *Pet.* 1.5.
[q] *Joh.* 17.9. *Rom.* 8. 28. ad finem. *Joh.* 6.64 65. *Joh.* 10.26. *Joh.* 8. 47. 1 *Joh.* 2. 19.

§ 7. Reliquos humani generis Deo placuit ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ inſcrutabile (quo miſericordiam pro libitu exhibet abſtinétve) in gloriam ſupremæ ſuæ in creaturas poteſtatis, præterire; eóſque ordinare ad ignominiam & iram pro peccatis ſuis, ad laudem juſtitiæ ſuæ glorioſæ [r].

[r] *Mat.* 11.25,26 *Rom.* 9.17,18, 21, 22. 2 *Tim.* 2.19,20. *Jud.* v. 4. 1 *Pet.* 2.8.

§ 8. Doctrina de ſublimi hoc prædeſtinationis myſterio non ſine ſumma cura & prudentia tractari debet [ſ], quò nimirùm homines, dum voluntati Dei in verbo ejus revelatæ advertant animos, eíque debitam exhibeant obediéntiam, de efficaci ſua vocatione certiores facti, ad æternæ ſuæ electionis aſſurgere poſſint certitudinem [t]. Ità demum ſuppeditabit hæc doctrina laudandi, reverendi, admirandíque Deum

[ſ] *Rom.* 9. 20. *Rom.* 11.33. *Deut.* 29. 29.
[t] 2 *Pet.* 1.10.

[u] *Eph.* 1. 6. *Rom.* 11. 33. * *Rom.* 11, 5, 6, 20. 2 *Pet.* 1. 10. *Rom.* 8. 33. *Luc.* 10. 20.

Deum argumentum [u], quin etiam humilitatis, diligentiæ, & conſolationis copioſæ omnibus ſincerè obedientibus evangelio *.

Cap. IV.

De creatione.

[a] *Heb* 1. 2. *Joh.* 1. 2, 3. *Gen.* 1. 2. *Job.* 26. 13. *Job.* 33. 4. [b] *Rom.* 1. 20. *Jer.* 10. 12. *Pſal.* 104. 24. *Pſal.* 33. 5, 6. [c] *Gen.* 1 cap. *Heb.* 11. 3. *Col.* 1. 16. *Act.* 17. 24. [d] *Gen.* 1. 27. [e] *Gen.* 2. 7. cum *Eccles.* 12. 7. & *Luc.* 23. 43. & *Matth.* 10. 28. [f] *Gen.* 1. 26. *Col.* 3. 10. *Eph.* 4. 24. [g] *Rom.* 2. 14, 15. [h] *Eccles.* 7. 29.

§ 1. DEo, Patri, Filio, & Spiritui ſancto, complacitum eſt [a], quò æternæ ſuæ cùm potentiæ tum ſapientiæ bonitatíſque gloriam manifeſtaret [b], mundum hunc, & quæ in eo cōtinentur univerſa tam viſibilia quàm inviſibilia, in principio intra ſex dierum ſpatium creare, ſeu ex nihilo condere, atq; omnia quidem bona valdè [c].

§ 2. Poſtquam omnes alias creaturas condidiſſet Deus, creavit hominem marem & fœminam [d], animabus inditis rationalibus ac immortalibus [e]; imbutos cognitione, juſtitiâ, verâque ſanctitate, ad ſuam ipſius imaginem [f]; habentes in cordibus ſuis inſcriptam Divinam legem [g], ſimul & eandem implendi vires [h], non tamen ſine quadam

dam violandi poſſibilitate; libertati ſiquidem permiſſi erant voluntatis ſuæ haud immutabilis [i]. Præter autem hanc in cordibus eorum inſcriptam legem; de non comedendo ex arbore ſcientiæ boni malíque mandatum inſuper acceperunt; quod certè quamdiu obſervabant, communione Dei beati erant [k], dominiúmque habebant in creaturas [l].

[i] *Gen.* 3. 6. *Eccleſ.* 7. 29.

[k] *Gen.* 2. 17. *Gen.* 3 8, 9, 10, 11, 23.

[l] *Gen.* 1. 26, 28.

Cap. V.

De Providentia.

§ I. Magnus ille rerum omnium creator Deus, ſapientiſſimâ ſuâ & ſanctiſſimâ ſimul providentiâ [a] creaturas, actiones, résque [b] à maximis uſque ad minimas [c] univerſas ſuſtentat [d], dirigit, ordinat, gubernátq; ſecundùm infallibilem ſuam præſcientiam [e], & voluntatis ſuæ conſilium liberum ac immutabile [f], ad laudem gloriæ ſapientiæ ſuæ, potentiæ, juſtitiæ, bonitatis, ac miſericordiæ [g].

[a] *Prov.* 15. 3. *Pſal.* 104. 24. *Pſal.* 145. 17.

[b] *Dan.* 4. 34, 35. *Pſal.* 135. 6. *Act.* 17. 25, 26, 28. *Job.* 38, 39, 40, 41, capita.

[c] *Matt.* 10. 29, 30, 31.

[d] *Heb.* 1. 3.

[e] *Act.* 15. 18. *Pſal.* 94. 8, 9, 10, 11.

[f] *Eph.* 1. 11. *Pſal.* 33. 10, 11.

[g] *Iſa.* 63. 14. *Epheſ.* 3. 10. *Rom.* 9. 17. *Gen.* 45. 7. *Pſal.* 145. 7.

§ 2. Quam-

§ 2. Quamvìs reſpectu præſcientiæ ac decreti Dei (cauſæ primæ) omnia immutabiliter atque infallibiliter eveniant [h], per eandem tamen ille providentiam eadem ordinat evenire neceſſariò, liberè, aut contingenter; pro natura cauſarum ſecundarum [i].

§ 3. Deus in próvidentia ſua ordinaria mediis utitur [k]; iis tamen non aſtringitur, quò minùs abſque eis [l], ſupra [m], aut etiam contra ea pro arbitrio ſuo operetur [n].

§ 4. Omnipotentem Dei potentiam, ſapientiam inſcrutabilem, bonitatémque infinitam providentia ejus eò uſque manifeſtat, ut vel ad primum lapſum, omniáque reliqua peccata, ſeu hominum ſint ſive angelorum, ſe extendat [o]; neque id quidem permiſſione nudâ [p], verùm cui conjuncta eſt ſapientiſſima potentiſſimáque eorum limitatio [q], ac aliusmodi ad ſanctos ſibi propoſitos fines diſpenſatione multiplici ordinatio & gubernatio [r]; ità tamen ut omnis eorum vitioſitas à ſola proveniat creatura, à Deo neutiquam; qui ſanctiſſimus quum ſit juſtiſſimúsq; neque

[h] *Act.* 2. 23.
[i] *Gen.* 8. 22. *Jer.* 31. 35. *Exod.* 21. 13. cum *Deut.* 19. 5. 1 *Reg.* 22. 28, 34. *Iſa.* 10. 5, 7.
[k] *Act* 27. 31, 44. *Iſa.* 55. 10, 11. *Hoſ.* 2. 21, 22.
[l] *Hoſ.* 1. 7. *Matth.* 4. 4. *Job.* 34. 10.
[m] *Rom.* 4. 19, 20, 21.
[n] 2 *Reg.* 6. 6. *Dan.* 3. 27.
[o] *Rom.* 11. 32, 33, 34. 2 *Sam.* 24. 1. cum 1 *Chron.* 21. 1. 1 *Reg.* 22. 22, 23. 1 *Chron.* 10. 4, 13, 14. 2 *Sam.* 16. 10. *Act.* 2. 23. *Act.* 4. 27, 28.
[p] *Act.* 14. 16.
[q] *Pſal.* 76. 10. 2 *Reg.* 19. 28.
[r] *Gen.* 50. 20. *Iſa.* 10. 6, 7, 12.

neque eſt, nec eſſe quidem poteſt peccati autor aut approbator [f].

[f] *Jac.* 1. 13, 14, 17. 1 *Joh.* 2. 16. *Pſal.* 50. 21.

§ 5. Sapientiſſimus, juſtiſſimus, & gratioſiſſimus idem Deus, ſæpenumerò filios ſuos tentationibus multifariis, ſuorúmque cordium corruptioni ad tempus permittit; quò ob admiſſa priùs peccata caſtiget eos, vel corruptionis iis detegat vim occultam, cordiúmque ſuorum fraudulentiam ut humilientur [t]; quóque eos excitet ad ſtrictam magìs & conſtantem á ſeipſo pro ferendis ſuppetiis dependentiam; Quò denique adversùs omnes occaſiones peccati de futuro reddat cautiores. Sed & ob alios etiam varios fines, juſtos ſanctóſque ſibi propoſitos [u].

[t] 2 *Chron.* 32. 25, 26, 31. 2 *Sam.* 24. 1.

[u] 2 *Cor.* 12. 7, 8, 9. *Pſal.* 37. *per tot.* *Pſal.* 77. 1. *ad* 12. *Mat.* 14. 66. ad finem, cum. *Joh.* 21. 15, 16, 17.

§ 6. Quod ſceleſtos illos ſpectat impióſque homines, quos Deus, ut juſtus judex, ob peccata præcedentia excæcat induratque [*]; eis ille non ſolùm gratiam ſuam non impertit, quâ ipſis cùm illuminari intellectus, tum affici corda potuiſſent [x]; ſed interdum ſubtrahit eis quibus imbuti erant dona [y], & ipſos exponit illiuſmodi objectis, unde corruptio eorum arripit ſibi peccandi

[*] *Rom.* 1. 24, 26, 28. *Rom.* 11. 7, 8.

[x] *Deut.* 29. 4.

[y] *Mat.* 13. 12. *Matt.* 25, 29.

z Deut. 2. 30. 2 Reg. 8. 12. 13. a Pſ. 81. 11, 12. 2 Theſ. 2. 10, 11, 12. b Exod. 7. 3. cum Exod. 8. 15, 32. 2 Cor. 2. 15, 16. Iſa. 8. 14. 1 Pet. 2. 7, 8. Iſa. c. 9. 10. cum Act. 28. 26, 27.

peccandi occaſiones [z]; ſimúlque tradit eos ſuis ipſorum concupiſcentiis, & tentationibus mundi, & poteſtati Satanæ [a]; ex quo fit ut ſeipſos ipſi indurent, & quidem ſub iiſdem mediis quibus utitur Deus ad alios emolliendos [b].

§ 7. Providentia Dei ſicut ad omnes creaturas universali modo ſe extendit; ità modo planè peculiari Eccleſiæ ſuæ curam gerit, ac in ejus bonum diſponit univerſa [c].

c 1 Tim. 4. 10. Amo. 9. 8, 9. Rom. 8. 28. Iſa. 43. 3, 4, 5, 14.

Cap. VI.

De hominis lapſu, de peccato ejuſque pœna.

§ 1. PRimi parentes, Satanæ ſubtilitate ac tentatione ſeducti, fructûs vetiti eſu peccaverunt [a]. Hoc eorum peccatum ſecundùm ſapiens ſuum ſanctúmque conſilium Deo placuit permittere, non ſine propoſito illud ad ſuam ipſius gloriam ordinandi [b].

a Gen. 3. 13. 2 Cor. 11. 3.

b Rom. 11. 32.

§ 2. Hoc

§ 2. Hoc illi peccato, juſtitiâ ſuâ originali & communione cum Deo exciderunt [c]; itáque facti ſunt in peccato mortui [d], atque in omnibus facultatibus ac partibus animæ corporíſque penitus contaminati [e].

§ 3. Quúmque illi fuerint radix totius humani generis, hujuſce peccati reatus fuit imputatus [f], eadémque in peccato mors ac natura corrupta propagata, omnibus illorum poſteris, quotquot ab iis ordinariâ quidem generatione procreantur [g].

§ 4. Ab hac originali labe (quâ ad omne bonum facti ſumus inhabiles prorſus ac impotentes, eíque planè oppoſiti [h], ad malum autem omne proclives penitus [i]) proveniunt omnia peccata actûalia [k].

§ 5. Hæc naturæ corruptio durante hac vitâ manet etiam in regenitis [l]: & quamvis per Chriſtum & condonata ſit & mortificata; nihilo minùs tam ipſa, quàm ejus motus univerſi verè ſunt ac propriè peccata [m].

[c] *Gen.* 3.6,7.8 *Eccleſ.* 7. 29. *Rom.* 3. 23.
[d] *Gen.* 2. 17. *Eph.* 2. 1.
[e] *Tit.* 1. 15. *Gen.* 6. 5. *Ier.* 17. 9. *Rom.* 3. 10, ad 19.
[f] *Gen.* 1. 27, 28. & *Gen.* 2. 16, 17. & *Act.* 17. 26. cum *Rom.* 5. 12, 15, 16, 17, 18, 19. & 1 *Cor.* 15. 21, 22, 49.
[g] *Pſal.* 51. 5. *Gen.* 5. 3. *Iob.* 14. 4. *Iob.* 15. 14.
[h] *Rom* 5. 6. *Rom.* 8. 7. *Rom.* 7. 18. *Col.* 1. 21.
[i] *Gen.* 6. 5. *Gen.* 8. 21. *Rom.* 3. 10, 11, 12.
[k] *Iac.* 1. 14, 15. *Eph.* 2. 2, 3. *Matt.* 15. 19.
[l] 1 *Iob.* 1. 8, 10. *Rom.* 7. 14, 17, 18, 23, *Iac.* 3. 2. *Prov.* 20. 9. *Eccleſ.* 7. 20.
[m] *Rom.* 7. 5, 7, 8, 25. *Gal.* 5. 17.

§ 6. Peccatum omne cùm originale tum actuale, quum juſtæ Dei legis tranſgreſſio ſit eíque contraria [n], peccatori ſuâpte naturâ reatum infert [o], quo ad iram Dei [p], ac maledictionem legis [q] ſubeundam obligatur, adeóque redditur obnoxius morti [r] ſimul & miſeriis omnibus ſpiritualibus [ſ], temporalibus [t], ac æternis [u].

[n] *1 Joh.* 3. 4.
[o] *Rom.* 2. 15. *Rom.* 3. 9, 19.
[p] *Epheſ.* 2. 3.
[q] *Gal.* 3. 10.
[r] *Rom.* 6. 23.
[ſ] *Epheſ.* 4. 18.
[t] *Rom.* 8. 20. *Lam.* 3, 39.
[u] *Matt.* 25. 41. *2 Theſ.* 1. 9.

CAP. VII.

De fœdere Dei cum homine.

§ 1. TAnta eſt inter deum & creaturam diſtantia, ut licèt creaturæ rationales obedientiám illi ut creatori ſuo debeant, nullam tamen fruitionem ejus tanquam ſuæ beatitudinis ac præmii habere unquam potuiſſent, ni voluntaria fuiſſet aliqua ex parte Dei condeſcentio; quam ipſi exprimere placuit icto fœdere [a].

§ 2. Primum fœdus cum hominibus initum erat fœdus operum [b], quo vita Adamo promiſſa erat, ejúſque in eo poſteris [c], ſub conditione obedientiæ

[a] *Iſa* 40, 13. 14, 15, 16, 17. *Job.* 9. 32, 33. *1 Sam.* 2. 25. *Pſal.* 113. 5, 6. *Pſal.* 100. 2, 3. *Job.* 22. 2, 3. *Job.* 35. 7, 8. *Luc.* 17. 10. *Act.* 17. 24, 25.

[b] *Gal.* 3. 11.
[c] *Rom.* 10. 5. *Rom.* 5. 12, ad 20.

dientiæ perfectæ ac perſonalis [d]. [d] *Gen.*2.17. *Gal.*3.10.

§ 3. Quum autem homo lapſo ſuo omnem ſibi præſtruxiſſet ad vitam aditum per illud fœdus, complacuit Domino ſecundum inire [e], quod vulgò dicimus *Fœdus Gratiæ*; in quo peccatoribus offert gratuitò vitam ac ſalutem per Jeſum Chriſtum, fidem in illum ab iis requirens ut ſalventur [f]; promittenſque omnibus qui ad vitam ordinantur ſe ſpiritum ſuum ſanctum daturum, qui in illis operetur credendi cùm voluntatem tum potentiam [g].

[e] *Gal.*3.21. *Rom.*8.3. *Rom.* 3.20,21. *Gen.*3.15. *Iſa.*42.6. [f] *Mar.*16.15,16 *Joh.* 3.16. *Rom.*10.6.9. *Gal.*3.11. [g] *Ezech.*36. 26,27. *Joh.*6.44,45.

§4. Hoc fœdus Gratiæ in Scriptura ſæpè nomine *Teſtamenti* indigitatur, reſpectu nimirum mortis Teſtatoris Jeſu Chriſti, æternæque illius hæreditatis, quam is unà cum omnibus eam ſpectantibus inibi legabat [h].

[h] *Heb.*9.15,16, 17. *Heb.*7.22. *Luc.*22.20. 1 *Cor.*11.25.

§ 5. Hoc fœdus ſub Lege atque ſub Evangelio adminiſtratum eſt modo alio atque alio [i]. Sub Lege quidem per promiſſiones, prophetias & ſacrificia, per circumciſionem, agnum paſcalem, alióſque typos ac inſtituta populo Judaico tradita, quæ omnia Venturum Chriſtum præſignificabant [k];

[i] 2 *Cor.*3.6,7, 8,9. [k] *Heb.*8,9,10. cap. *Rom.*4. 11. *Col.*2.11,12. 1 *Cor.* 5.7.

erántque pro ratione illorum temporum ſufficientia, & per operationem ſpiritûs efficacia ad electos inſtruendum ac ædificandum in fide in promiſſum Meſsiam [l], per quem plenam peccatorum remiſsionem & ſalutem æternam ſunt conſecuti; dicitúrque *Vetus Teſtamentum* [m].

§ 6. Sub Evangelio autem, exhibito jam Chriſto, ſubſtantiâ [n] ſcilicet ac antitypo, præſcriptæ rationes in quibus hoc fœdus diſpenſatur, ſunt prædicatio verbi, & adminiſtratio ſacramentorum, baptiſmi nempe ac cœnæ Dominicæ [o]; in quibus quidem utut numero paucioribus, iiſque ſimpliciùs ac minore cum externa gloria adminiſtratis, cum majore tamen plenitudine, evidentia, & efficacia ſpirituali [p] populis cunctis tam Judæis quàm Gentibus [q] exhibetur; Dicitúrque *Novum Teſtamentum* [r]. Non ſunt ergò duo fœdera gratiæ, re atque naturâ diſcrepantia; ſed unum idémque, licèt non uno modo diſpenſatum [ſ].

l 1 *Cor.* 10. 1, 2, 3, 4. *Heb.* 11. 13. *Joh.* 8. 56.
m *Gal.* 3. 7, 8, 9, 14.
n *Col.* 2. 17.
o *Mat.* 28. 19, 20. 1 *Cor.* 11. 23, 24, 25.
p *Heb.* 12. 22, ad 28. *Jer.* 31. 33, 34.
q *Matth.* 28. 19. *Eph.* 2. 15, 16, 17, 18, 19.
r *Luc.* 22. 20.
ſ *Gal.* 3. 14, 16. *Rom.* 3. 21, 22, 23, 30. *Pſ.* 32. 1. cum *Rom.* 4. 3, 6, 16, 17, 23, 24. *Heb.* 13. 8. *Act.* 15. 11.

Cap. VIII.

De Chriſto Mediatore.

§ 1. COmplacitum eſt Deo Filium ejus unigenitum Dominum Jeſum in æterno ſuo propoſito eligere atque ordinare ut Mediator eſſet inter Deum & hominem [a], Propheta [b], Sacerdos [c], & Rex [d], caput idem & ſalvator Eccleſiæ ſuæ [e]; rerum omnium hæres [f], Mundíque Judex; [g] cui ab æterno populum dedit futurum illi in ſemen [h], ac per illum ſtato tempore redimendum, vocandum, juſtificandum, ſanctificandum ac glorificandum [i].

[a] *Iſa.* 42.1. 1 *Pet.* 1.19,20. *Joh.* 3.16. 1 *Tim.* 2.5.
[b] *Act.* 3.22.
[c] *Heb.* 5.5,6.
[d] *Pſal.* 2.6, *Luc.* 1.33.
[e] *Eph.* 5.23.
[f] *Heb.* 1 2.
[g] *Act.* 17.31.
[h] *Joh.* 17.6. *Pſa* 22.30, *Iſa.* 53.10.
[i] 1 *Tim.* 2.6. *Iſa.* 55.4,5. 1 *Cor.* 1.30.

§ 2. Filius Dei perſona ſecunda in Trinitate, verus nempe idem æternúsq; Deus, ſubſtantiæ cum Patre unius ejuſdémque, eíque coæqualis, cum advenerat temporis plenitudo, aſſumpſit naturam humanam [k], unà cum omnibus ejus proprietatibus eſſentialibus, communibúsque infirmitatibus, immunem tamen à peccato [l], conceptus ſcilicet in utero éque ſubſtantia Mariæ

[k] *Joh.* 1.1,14. 1 *Joh.* 5.20. *Phil.* 2.6. *Gal.* 4.4.
[l] *Heb.* 2.14,16, 17. *Heb.* 4.15.

Virginis [m], virtute Spiritûs Sancti. Adeò ſanè ut naturæ duæ, integræ, perfectæ, diſtinctæque Deitas ac humanitas in una eadémque perſona indiſſolubili nexu conjunctæ fuerint, ſine converſione, compoſitione, aut confuſione [n]. Quæ quidem perſona verè Deus eſt ac verè homo, unus tamen Chriſtus, unicus inter Deum & hominem Mediator [o].

§ 4. Dominus Jeſus in humana ſua natura divinæ hunc modum conjuncta ſanctificatus eſt, ac Spiritu ſancto ſupra menſuram unctus [p], in ſe habens omnes ſapientiæ notitiæque theſauros [q]; in quo Patri viſum eſt ut omnis plenitudo inhabitaret [r], atque eo quidem fine ut ſanctus, innocuus, intaminatus, plenûſque gratiæ ac veritatis exiſtens [s], ad Mediatoris Vadíſque munus exequendum perfectè eſſet inſtructus [t]. Quod ille officium non arripuit ſibi, verùm à Patre erat ad id vocatus [u], qui omnem ei poteſtatem ac judicium in manus dedit, unà cum mandato exercendi [*].

§ 4. Hoc munus promtiſſimâ voluntate

[m] *Luc.* 1. 27, 31, 35. *Gal.* 4. 4.
[n] *Luc.* 1. 35. *Col.* 2. 9. *Rom.* 9. 5. 1 *Pet.* 3. 18. 1 *Tim.* 3. 16.
[o] *Rom.* 1. 3. 4. 1 *Tim.* 2. 5.
[p] *Pſal.* 45. 7. *Joh.* 3. 34.
[q] *Col.* 2. 3.
[r] *Col.* 1. 19.
[s] *Heb.* 7. 26. *Joh.* 1. 14.
[t] *Act.* 10. 38. *Heb.* 12. 24. *Heb.* 7. 22.
[u] *Heb.* 5. 4, 5.
[*] *Joh.* 5. 22, 27. *Matth.* 28. 18. *Act.* 2. 36.

luntate in ſe ſuſcepit Dominus Jeſus [x], quod ut expleret factus eſt ſub Lege [y], eam perfectè implevit [z], immediatè in anima [a] ſua graviſſimos ſubiit cruciatus, in corpore [b] verò perpeſſiones quàm maximè dolorificas; crucifixus eſt, ac mortuus [c]; ſepultus eſt, mansítque ſub mortis poteſtate; nec tamen ullam vidit corruptionem [d]. Tertio die ſurrexit à mortuis [e] cum eodem in quo paſſus fuerat corpore [f], cum quo etiam aſcendit in cœlum, ibíque ſedens ad dextram Patris [g] intercedit [h], rediturus indè in conſummatione mundi, ad homines angelóſque judicandum [i].

§ 5 Dominus Jeſus obedientiâ ſuâ perfectâ, ſuíque ipſius ſacrificio; quod per æternum Spiritum Deo ſemel obtulit, juſtitiæ Patris plenè ſatisfecit [k], ac omnibus ei à Patre datis non modò reconciliationem; verùm etiam æternam hæreditatem in regno cœlorum acquiſivit [l].

§ 6. Quamvìs redemptionis opus non niſi poſt incarnationem ejus, à Chriſto quidem actu effectum fuerit, vis tamen ejus, efficacia, & beneficia

per

[x] *Pſal.*40.7,8. cum *Heb.* 10.5. ad 11. *Joh.*10.18. *Phil.*2.8.
[y] *Gal.*4.4.
[z] *Matth.*3.15. *Matth.*5.17.
[a] *Mat.*26.37,38 *Luc.*22.44. *Matth.*27.46.
[b] *Mat.*26.27.c.
[c] *Phil.*2.8.
[d] *Act.*2. 23,24, 27. & 13.37. *Rom.*6.9.
[e] 1 *Cor.*15.3,4.
[f] *Joh.*20.25,27
[g] *Mar.*16.19.
[h] *Rom.*8.34. *Heb.* 9.24. *Heb.*7.25.
[i] *Rom.*14.9,10. *Act.*1.11. *Act.* 10.42. *Mat.*13.40,41 *Judæ* v. 6. 2 *Pet.*2.4.
[k] *Rom.*5.19. *Heb.*9.14.16. *Heb.*10.14. *Eph.*5.2. *Rom.*3.25,26.
[l] *Dan.*9. 24,26. *Col.*1.19,20. *Eph.*1.11,14. *Joh.* 17.2. *Heb.*9.12,15.

per omnia jam indè à mundi primordiis elapſa ſecula electis ſunt communicata, in & per promiſſiones illas, typos, & ſacrificia, quibus revelatum erat & ſignificatum hunc eſſe ſemen illud mulieris, quod contriturum erat ſerpentis caput, agnúmque illum mactatum ab initio mundi; ut qui herì ac hodie idem eſt & in ſempiternum [m].

[m] *Gal.*4.4.5. *Gen.*3.15. *Apoc.*13.8. *Heb.*13.8.

§ 7. Chriſtus in opere Mediatorio agit ſecundùm utramque naturam, id agens per utramvis, quod eidem proprium eſt [n], nonnunquam támen fit propter perſonæ unitatem ut quod uni naturæ proprium eſt, perſonæ ab altera natura denominatæ in Scriptura tribuatur [o].

[n] *Heb.*9.14. 1 *Pet.*3.18.

[o] *Act.*20.28. *Joh.*3.13. 1 *Joh.*3.16.

§ 8. Pro quibus Chriſtus redemtionem acquiſivit, iis omnibus certò quidem ac efficaciter eam applicat impertítque [p], pro eis intercedens [q], eísq; in verbo & per verbum revelans myſterium ſalutis [r], per Spiritum ſuum eis ut credere velint ac obedire perſuadens efficaciter [ſ], corúmque gubernans corda verbo ſuo ſpiritúque; ſed & vi ſuâ

[p] *Joh.*6.37,39. *Joh.*10.15,16.

[q] 1 *Joh.*2.1,2. *Rom.*8.34.

[r] *Joh.*15.13,15 *Eph.*1.7,8,9. *Joh.*17.6.

[ſ] *Joh.*14.16. *Heb.*12.2. 2 *Cor.*4.13. *Rom.*8.9,14. *Rom.*15.18,19 *Joh.*17.17.

ſuâ omnipotenti, ac ſapientiâ debellans omnes eorum hoſtes, iis autem modis mediíſq; quæ admirabili & inſcrutabili ejus diſpenſationi ſunt maximè conſentanea [r].

[r] *Pſal.* 110.1. 1 *Cor.*15.25,26 *Mal.*4.2,3. *Col.* 2.15.

CAP. IX.

De libero arbitrio.

§ 1. EAm humanæ voluntati naturalem Deus indidit libertatem, ut nec cogatur unquam, neque abſolutâ ullâ naturæ neceſsitate ad bonum aut malum determinetur [a].

§ 2. Homo in ſtatu innocentiæ libertatem habuit ac potentiam, quod bonum erat Deóque gratum volendi agendíque [b]; mutabiliter tamen, ità ut illâ potuerit excidere [c].

§ 3. Homo per lapſum ſuum in ſtatum peccati, potentiam omnem quam habuerat voluntas ejus ad bonum aliquod ſpirituale & ſaluti contiguum amiſit penitus [d]; adeò ſanè ut naturalis homo, utpote ab ejuſmodi bono abhorrens prorſus [e], ac in peccato mor-

[a] *Matth.*17.12. *Jac.*1.14. *Deut.*30.19.

[b] *Eccleſ.* 4. 39. *Gen.* 1. 26.

[c] *Gen.*2.16,17. *Gen.* 3.6.

[d] *Rom.* 5. 6. *Rom.*8.7. *Joh.*15. 5.

[e] *Rom.*3.10,12.

mortuus [f], non poſsit unquam ſuis ipſius viribus convertere ſemet, ſed nè quidem ad converſionem ſe vel præparare [g].

[f] *Eph.* 2.1,5. *Col.* 2.13. [g] *Joh.* 6.44,65. *Eph.* 2.2,3,4,5. 1 *Cor.* 2. 14. *Tit.* 3.3,4,5.

§ 4. Quandocunque Deus convertit ac in ſtatum gratiæ transfert peccatorem, eundem eximit naturali ſuâ ſub peccato ſervitute [h], ſoláque gratiâ ſuâ potentem reddit ad ſpirituale bonum volendum præſtandúmque [i]; Ità tamen ut propter manentem adhuc in eo corruptionem, bonum nec perfectè velit; neque id tantummodo, verùm etiam quandoque malum [k].

[h] *Col.* 1.13. *Joh.* 8.34,36. [i] *Phil.* 2.13. *Rom.* 6.18,22. [k] *Gal.* 5.17. *Rom.* 7.15,18, 19, 21,23.

§ 5. Voluntas humana perfectè ac immutabiliter libera ad bonum ſolum redditur non niſi in ſtatu gloriæ [l].

[l] *Eph.* 4.13. *Heb.* 12.23. 1 *Joh.* 3.2. *Judæ* v. 24.

Cap. X.

De vocatione efficaci.

§ 1. Deus quos ad vitam prædeſtinavit omnes, eóſque ſolos dignatur per verbum ſuum & ſpiritum [a], conſtituto ſuo acceptóq; tempore vocare efficaciter [b] è ſtatu illo pec-

[a] 2 *Theſſ.* 2. 13, 14. 2 *Cor.* 3. 3,6. [b] *Rom.* 8.30. *Rom.* 11.7. *Eph.* 1.10,11.

peccati & mortis in quo ſunt naturâ conſtituti, ad gratiam ac ſalutem per Jeſum Chriſtum [c]; ídque mentes eorum illuminando, ut modo ſpirituali & ſalutari quæ Dei ſunt intelligant [d]; tollendo eorum cor lapideum, donandóque eis cor carneum [e]; voluntates eorum renovando ac pro potentia ſua omnipotente ad bonum determinando [f], & ad Jeſum Chriſtum trahendo efficaciter [g]; ità tamen ut illi nihilominus liberrimè veniant, volentes nempe facti per illius gratiam [h].

§ 2. Efficax hæc vocatio eſt à ſola Dei gratia, gratuitâ illâ & ſpeciali; à nulla autem re in homine prævisa [i]; qui in hoc negotio ſe habet omninò paſſivè, donec per ſpiritum ſanctum vivificatus ac renovatus [k], potis indè factus ſit vocationi huic reſpondere, gratiámque inibi oblatam & exhibitam amplexari [l].

§ 3. Electi infantes in infantia ſua morientes regenerantur ſalvantúrque à Chriſto per ſpiritum [m] (qui quando & ubi, & quo ſibi placuerit modo operatur [n]) ſic-ut & reliqui electi omnes,

[c] *Rom.* 8. 2. *Eph.* 2. 1, 2, 3, 4, 5. 2 *Tim.* 1. 9.10.
[d] *Act.* 26. 18. 1 *Cor.* 2.10,12. *Eph.* 1. 17, 18.
[e] *Ezech.* 36.26.
[f] *Ezech.* 11. 19. *Phil.* 2. 13. *Deut.* 30. 6. *Ezech.* 36. 27.
[g] *Eph.* 1. 19. *Joh.* 6. 44, 45.
[h] *Cant.* 1. 4. *Pſal.* 110. 3. *Joh.* 6. 37. *Rom.* 6. 16, 17, 18.
[i] 2 *Tim.* 1. 9. *Tit.* 3. 4, 5. *Eph.* 2. 4, 5, 8, 9. *Rom.* 9. 11.
[k] 1 *Cor.* 2. 14. *Rom.* 8. 7. *Eph.* 2. 5.
[l] *Joh.* 6. 37. *Ezech.* 36. 27. *Joh.* 5. 25.
[m] *Luc.* 18. 15, 16. & *Act.* 2. 38, 39. & *Joh.* 3. 3, 5. & 1 *Joh.* 5. 12. & *Rom.* 8. 9. collatis.
[n] *Joh.* 3. 8.

nes,

[o] 1 *Joh.* 5. 12. *Act.* 4. 12.

nes, quotquot externæ vocationis per miniſterium verbi ſunt incapaces[o].

[p] *Matt.* 22. 14. [q] *Matt.* 7. 22. *Matt.* 13. 20, 21 *Heb.* 6. 4, 5. [r] *Joh.* 6. 64, 65, 66. *Joh.* 8. 24.

§ 4. Alii autem, qui non electi ſunt, ut ut verbi miniſterio vocari poſſint[p], communéſque nonnullas operationes Spiritûs experiri[q], nunquam tamen verè ad Chriſtum accedunt, proindéque nec ſalvari poſſunt[r]. Multo quidem minùs poterunt illi, quotquot religionem Chriſtianam non profitentur, (ſummam licèt operam navaverint moribus ſuis ad naturæ lumen, iſtiúſque quam profitentur religionis legem componendis) extra hanc unicam viam ſalutem unquam obtinere[s]. Atque huic quidem contrarium ſtatuere ac defendere, perniciosum admodum eſt ac deteſtandum[t].

[s] *Act.* 4. 12. *Joh.* 14. 6. *Eph.* 2. 12. *Joh.* 4. 22. *Joh.* 17. 3. [t] 2 *Joh.* v. 9, 10, 11. 1 *Cor.* 16. 22. *Gal.* 1. 6, 7, 8.

Cap. XI.

De Juſtificatione.

[a] *Rom.* 8. 30. *Rom.* 3. 24.

§ 1. Quos Deus vocat efficaciter, eoſdem etiam gratìs juſtificat[a], non quidem juſtitiam iis infundendo, ſed eorum peccata condonando,

do, perſonáſque pro juſtis reputando atque acceptando; neque id certè propter quicquam aut in iis productum, aut ab iis præſtitum, verùm Chriſti ſolius ergô; eiſque ad juſtitiam non fidem ipſam, non credendi actum, aut aliam quamcunque obedientiam evangelicam, verùm obedientiam ac ſatiſfactionem Chriſti imputando[b], eum nempe recipientibus, eíque ac juſtitiæ ejus per fidem innitentibus; quam illi fidem ex dono Dei, non à ſeipſis, habent[c].

[b] *Rom.* 4. 5, 6, 7, 8. 2 *Cor.* 5. 19, 21. *Rom.* 3. 22, 24, 25, 27, 28. *Tit.* 3. 5, 7. *Eph.* 1. 7. *Ier.* 23. 6. 1 *Cor.* 1. 30, 31. *Rom.* 5. 17, 18, 19.
[c] *Act.* 10. 44. *Gal.* 2. 16. *Phil.* 3. 9. *Act.* 13. 38, 39. *Eph.* 2. 7, 8.

§ 2. Fides hoc modo Chriſtum recipiens, eíque innitens ac juſtitiæ ejus, eſt juſtificationis unicum inſtrumentum[d]; in homine tamen juſtificato hæc non eſt ſolitaria, verùm gratiis aliis omnibus ſalutaribus ſemper comitata; neque eſt hæc fides mortua, ſed quæ per charitatem operatur[e].

[d] *Joh.* 1. 12. *Rom.* 3. 28 *Rom.* 5. 1.
[e] *Iac.* 2. 17, 22, 26. *Gal.* 5. 6.

§ 3. Qui hunc in modum juſtificantur, eorum omnium debita Chriſtus per obedientiam ſuam mortémq; prorsùs diſſolvit; eorúmque vice juſtitiæ Patris ſui realem, plenam; & propriè dictam ſatisfactionem præſtitit[f].

[f] *Rom.* 5. 8, 9, 10, 19. 1 *Tim.* 2. 5, 6. *Heb.* 10. 10, 14. *Dan.* 9. 24, 26. *Iſa.* 53. 4, 5, 6, 10, 11, 12.

Quum

Quum tamen non propter in iis quicquam, verùm gratuitò Pater cùm Chriſtum ipſum pro eis dederit [g], tum obedientiam ejus ac ſatisfactionem tanquam eorum loco conſtituti [h] acceptaverit; omninò à gratia gratuita eſt eorum juſtificatio [i]; Quò nimirùm Dei tum accurata juſtitia tum locuples gratia glorificata foret in juſtificatione peccatorum [k].

§ 4. Ab æterno decrevit Deus electos omnes juſtificare [l], Chriſtúsque in temporis plenitudine mortuus eſt pro eorum peccatis, & in juſtificationem eorum reſurrexit [m]: nihilo minùs tamen juſtificati priùs non ſunt, quàm Chriſtum eis in tempore ſuo opportuno Spiritus Sanctus actu applicuerit [n].

§ 5. Perſeverat Deus eorum peccata condonare quos ſemel juſtificavit [o], quin & etiamſi excidere ſtatu juſtificationis nunquam poſſint [p]; fieri tamen poteſt ut iræ Dei, paternæ quidem illi, per peccata ſua ſe exponant, nec lumen paterni vultûs priùs ſibi habeant reſtitutum, quàm ſemet ipſos humiliaverint,

[g] *Rom.* 8. 32.
[h] 2 *Cor.* 5. 21. *Matt.* 3. 17. *Eph.* 5. 2.
[i] *Rom.* 3. 24. *Eph.* 1. 7.
[k] *Rom.* 3. 26. *Eph.* 2. 7.
[l] *Gal.* 3. 8. 1 *Pet.* 1. 2, 19, 20. *Rom.* 8. 30.
[m] *Gal.* 4. 4. 1 *Tim.* 2. 6. *Rom.* 4. 25.
[n] *Col.* 1. 21, 22. *Gal.* 2. 16. *Tit.* 3. 4, 5, 6, 7.
[o] *Matt.* 6. 12. 1 *Joh.* 1. 7, 9. 1 *Joh.* 2. 1, 2.
[p] *Luc.* 22. 32. *Joh.* 10. 28. *Heb.* 10. 14.

'miliaverint, peccata agnoverint, imploraverint veniam, fidem denique & pœnitentiam ſuam renovaverint [q].

[q] *Pſal.* 89. 31, 32, 33. *Pſal.* 51, 7, 8, 9, 10. 11, 12. *Pſal.* 32. 5. *Matth.* 26. 75. 1 *Cor.* 11. 30, 32. *Luc.* 1. 20.

§ 6. Juſtificatio fidelium ſub Vetere ac Novo Teſtamento quoad iſthæc omnia eſt una eadémque [r].

[r] *Gal.* 3. 9, 13, 14. *Rom.* 4. 22, 23, 24. *Heb.* 13. 8.

Cap. XII.

De Adoptione.

§ 1. DEus juſtificatos omnes dignatur in filio ſuo unigenito Jeſu Chriſto, & propter eundem participes facere gratiæ Adoptionis [a]; per quam in numerum filiorum Dei aſſumuntur, taliúmque immunitatibus ac privilegiis potiuntur [b], impoſitum ſibi habent nomen Dei [c], Spiritum adoptionis accipiunt [d], aditum habent ad thronum gratiæ cum confidentia [e], poteſtatem conſequuntur clamandi Abba Pater [f], commiſerationem [g], tutelam [h], & providentiam [i] ſortiuntur; quin & caſtigationem Dei paternam experiuntur [k]; nunquam tamen abdi-

[a] *Eph.* 1. 5. *Gal.* 4. 4, 5.
[b] *Rom.* 8, 17. *Joh.* 1. 12.
[c] *Jer.* 14. 9. 2 *Cor.* 6. 18. *Apoc.* 3. 12.
[d] *Rom.* 8. 15.
[e] *Eph.* 3. 12. *Rom.* 5. 2.
[f] *Gal.* 4. 6.
[g] *Pſal.* 103. 13.
[h] *Prov.* 14. 26.
[i] *Mat.* 6. 30, 31. 1 *Pet.* 5. 7.
[k] *Heb.* 12. 6.

[l] *Lam.*3.31. [m] *Eph.*4.30. [n] *He*.6.12. [o] 1 *Pet.*1.3,4. *Heb.* 1. 14.

cantur [l], verùm in diem redemtionis conſignati [m] promiſſiones obtinent hæreditario jure [n], ut qui hæredes ſunt æternæ ſalutis [o].

Cap. XIII.
De Sanctificatione.

[a] 1 *Cor.*6.11. *Act.*20.32. *Phil.*3.10. *Rom.*6.5,6. [b] *Ioh.*17.17. *Eph.*5.26. 2 *Theſſ.*2.13. [c] *Rom.*6.6,14. [d] *Gal.*5.24. *Rom.*8.13. [e] *Col.*1.11. *Eph.*3.16,17, 18, 19. [f] 2 *Cor.*7.1. *Heb.*12.14. [g] 1 *Theſſ.*5.23.

§ 1. QUotquot efficaciter vocantur, ac regenerantur, cor novum habentes novúmque ſpiritum in ſe creatum, ſunt virtute mortis & reſurrectionis Chriſti [a] per verbum ejus ſpiritúmque in eis inhabitantem [b] ulteriùs ſanctificati, realiter quidem ac perſonaliter: totius corporis peccati dominium in eos deſtruitur [c], ejúſque variæ libidines debilitantur indies magìs magíſque ac mortificantur [d]; illi interim magìs magíſque in omni gratia ſalutari vivificantur & corroborantur indies [e], ad praxim veræ ſanctimoniæ, quâ quidem deſtitutus nemo unquam videbit Dominum [f].

§ 2. Univerſalis eſt hæc & per totum hominem diffuſa ſanctificatio [g],

verùm in hac vita eſt imperfecta nonnullis corruptionis reliquiis adhuc in omni parte remanentibus [h], unde bellum exoritur perpetuum & implacabile; hinc carne adverſùs ſpiritum, illinc ſpiritu adverſùs carnem concupiſcente [i].

§ 3. In quo quidem bello licèt corruptio reſidua poſſit aliquandiu prævalere plurimùm [k], pars tamen regenita, ſanctificante Chriſti ſpiritu perpetuas ferente ſuppetias, evadit victrix [l]; adeóque ſancti in gratia creſcunt [m], ſanctitatem in timore Domini perficientes [n].

[h] 1 *Ioh.* 1. 10. *Rom.* 7. 18. 23. *Phil.* 3. 12.

[i] *Gal.* 5. 17. 1 *Pet.* 2. 11.

[k] *Rom* 7. 23.

[l] *Rom.* 6. 14. 1 *Ioh.* 5. 4. *Eph.* 4. 15, 16.

[m] 2 *Pet.* 3. 18. 2 *Cor.* 3. 18.

[n] 2 *Cor.* 7. 1.

Cap. XIV.

De Fide ſalvifica.

§ 1. GRatia Fidei, quâ electi credere valent ad animarum ſuarum ſalutem [a], Spiritûs Chriſti opus eſt in eorum cordibus operantis [b], effectum plerumque verbi Dei miniſterio [c], quo eodem etiam, ut & adminiſtratione Sacramentorum atq; oratione

[a] *Heb.* 10. 39.

[b] 2 *Cor.* 4. 13. *Eph.* 1. 17, 18, 19. *Eph.* 2. 8.

[c] *Rom.* 10. 14, 17.

tione robur ei accedit ac incrementum [d].

§ 2. Hac Fide credit Chriſtianus verum eſſe quicquid in verbo revelatur, propter authoritatem ipſius inibi loquentis Dei [e]; & variè quidem in illud agit tum obſequendo mandatis [f], tum ad minas contremiſcens [g], tum etiam promiſſa Dei, ſeu præſentem hanc vitam ſeu futuram ſpectent, amplexando [h], pro varia nempe ratione illarum rerum, quæ in ſingulis verbi partibus continentur. Verùm fidei ſalvificæ actus illi ſunt præcipui, Chriſti acceptatio & receptio, in eúmque ſolum recumbentia pro juſtificatione, ſanctificatione, ipſáque adeò vita æterna, virtute fœderis gratiæ conſequendis [i].

§ 3. Fides hæc pro diverſis ejus gradibus debilior eſt aut fortior [k]; impugnari quidem ſæpenumerò multisq; modis ac debilitari poteſt, non ità tamen quin victrix evadat [l]; & quidem in multis ad plenam uſq; certitudinem per Chriſtum adoleſcit [m], qui fidei noſtræ idem author eſt & conſummator [n].

[d] 1 Pet.2.1. Act.20.32. Rom.4.11. Luc.17.5. Rom.1.16,17.

[e] Joh.4.42. 1 Theſſ.2.13. 1 Joh.5.10. Act.24.14.

[f] Rom.16.26.

[g] Iſa.66.2.

[h] Heb.11.13. 1 Tim.4.8.

[i] Joh.1.12. Act.16.31. Gal.2.20. Act.15.11.

[k] Heb.5.13,14. Rom.4.19,20. Mat.6.30. Mat.8.10.

[l] Luc.22.31,32. Eph.6.16. 1 Joh.5.4,5.

[m] Heb.6.11,12. Heb.10.22. Col.2,2.

[n] Heb.12.2.

CAP.

Cap. XV.

De reſipiſcentia ad vitam.

§ 1. Reſipiſcentia ad vitam eſt gratia Evangelica [a], cujus quidem doctrina pariter ac illa de fide in Chriſtum eſt à ſingulis miniſtris Evangelii prædicanda [b].

[a] *Zech.* 12. 10. *Act.* 11. 18.
[b] *Luc.* 24. 47. *Mar.* 1. 15. *Act.* 20. 21.

§ 2. Per eam peccator ex inſpectu ſensúque non ſolùm periculi verùm etiam turpitudinis, ac naturæ peccatorum ſuorum prorſus abominandæ, utpote ſanctæ Dei naturæ, juſtæque legi adverſantium, atque è perſpecta ejus erga pœnitentes in Chriſto miſericordia, ità peccata ſua deflet at deteſtatur, ut ab eis omnibus ad Deum convertatur [c] cum propoſito conatúque in cunctis mandatorum ejus viis cum eodem ambulandi [d].

[c] *Ezec.* 18. 30, 31. *Ezech.* 36. 31. *Iſa.* 30. 22. *Pſal.* 51. 4. *Jer.* 31. 18, 19. *Joel.* 2. 12, 13. *Amos.* 5. 15. *Pſal.* 119. 128. 2 *Cor.* 7. 11.
[d] *Pſal.* 119. 6, 59. 106. *Luc.* 1. 6. 2 *Reg.* 23. 25.

§ 3. Etſi reſipiſcentiæ nobis fidendum non ſit, ac ſi ea eſſet ulla aut pro peccatis ſatisfactio, aut cauſa remiſſionis pecatorum [e] (qui gratiæ Dei in Chriſto gratuitæ actus eſt [f]) eſt nihilominus cunctis peccatoribus uſque adeo

[e] *Ezech.* 36. 31, 32. *Ezech.* 16. 61, 62, 63.
[f] *Hoſ.* 14. 2, 4. *Rom.* 3. 24. *Epheſ.* 1. 7.

g Luc. 13. 3, 5. Act. 17. 30, 31.
neceſſaria, ut ſinè ea nulla cuivis unquam remiſſio ſit expectanda [g].

h Rom. 6. 23. Rom. 5. 12. Mat. 12. 36. i Iſa. 55. 7. Rom. 8. 1. Iſa. 1. 16, 18.
§ 4. Quemadmodum nullum eſt peccatum adeò exiguum ut damnationem non mereatur [h], ità neque magnum adeò peccatum ullum eſt, ut damnationem inferre poſſit verè pœnitentibus [i].

k Pſal. 19. 13. Luc. 19. 8. 1 Tim. 1, 13, 15
§ 5. In reſipiſcentia generali acquieſcendum non eſt, verùm ad id contendere tenetur quiſque, ut ſingulorum ſuorum peccatorum quàm particularem agat pœnitentiam [k].

l Pſal. 51. 4, 5, 7, 9, 14. Pſal. 32. 5, 6. m Prov. 28, 13. 1 Joh. 1. 9. n Jac. 5. 16. Luc. 17. 3, 4. Joſh. 7, 19. Pſal. 51. per tot. o 2 Cor. 2, 8.
§ 6. Quemadmodum autem tenetur quivis peccata ſua Deo privatim confiteri, & pro remiſſione illorũ precibus contendere [l]: (quod ſi præſtiterit & peccata ſimul dereliquerit, miſericordiam conſequetur [m]) ità qui fratri ſuo, aut Eccleſiæ Chriſti, ſcandalo fuerit, promptus & paratus eſſe debet quà confeſsione ſive privatâ, ſive etiam publicâ, quà de peccatis ſuis dolore, reſipiſcentiam ſuam eis quibus offendiculo fuerit declarare [n], quo præſtito illi redire cum eo in gratiam debent, eúmq; denuò cum charitate recipere [o].

Cap. XVI.

De bonis operibus.

§ 1. Bona opera ea tantùm ſunt quæ in verbo ſuo ſancto præcepit Deus[a]; minimè autem ea quæ abſque ulla illius authoritate, ſunt ab hominibus excogitata, ſive è cæco zelo id factum fuerit, ſeu bonæ intentionis prætextu quoviſcunque[b].

§ 2. Bona hæc opera è conſcientia mandatorum Dei præſtita vivæ veræque fidei fructus ſunt ac evidentiæ[c]; per hæc fideles gratitudinem ſuam manifeſtant[d], de ſalute certitudinem ſuam augent[e], fratres ſuos ædificant[f], Evangelii profeſſionem ornant[g], obturant ora adverſantibus[h], ac Deum denique glorificant[i], cujus opificium ſunt in Jeſu Chriſto ad hæc creati[k], quò fructum habentes ad ſanctimoniam, finem conſequantur æternam vitam[l].

§ 3. Quòd bonis operibus idonei ſint præſtandis omnino id à ſpiritu Chriſti eſt, nullatenus autem è ſeipſis[m].

a *Mic.* 6. 8. *Rom.* 12. 2. *Heb.* 13. 21.
b *Mat.* 15. 9. *Iſa.* 29. 13. 1 Pet. 1. 18. *Rom.* 10. 2. *Joh.* 16. 2. 1 *Sam.* 15. 21, 22, 23.
c *Jac.* 2. 18, 22.
d *Pſ.* 116. 12, 13. 1 *Pet.* 2. 9.
e 1 *Joh.* 2. 3, 5. 2 *Pet.* 1. 5, 6, 7, 8, 9, 10.
f 2 *Cor.* 9. 2. *Mat.* 5. 16.
g *Tit.* 2. 5, 9, 10, 11, 12. 1 *Tim.* 6. 1.
h 1 *Pet.* 2. 15.
i 1 *Pet.* 2. 12. *Phil.* 1. 11. *Joh.* 15. 8.
k *Eph.* 2. 10.
l *Rom.* 6. 22.

[m] *Joh.* 15. 4, 5. *Ezech.* 36. 26, 27.
[n] *Phil.* 2. 13. *Phil.* 4. 13. 2 *Cor.* 3. 5.
[o] *Phil.* 2. 12. *Heb.* 6. 11, 12. 2 *Pet.* 1. 3, 5, 10, 11. *Iſa.* 64. 7. 2 *Tim.* 1. 6. *Act.* 26. 6, 7. *Judæ* v. 20, 21.

ſis [m]. Et quò eis præſtandis pares fiant, præter habitus gratiæ jam infuſos, ejuſdem Spiritûs ſancti actualis porrò requiritur influentia, quâ nempe in iis operetur tum velle tum etiam efficere pro ſuo ipſius beneplacito [n]: ſed neque tamen iis proinde ſocordiæ ſeſe licet permittere; acſi niſi ſpecialiter eos excitante Spiritu ad nulla pietatis officia præſtanda tenerentur; verùm ſedulam debent navare operam ſuſcitandæ illi quæ in iis eſt divinæ gratiæ [o].

§ 4. Qui gradum obedientiæ ſummum quidem in hac vita poſſibilem aſſequuntur, tantùm abeſt ut ſupererogare quicquam poſſint ac plus præſtare quàm quod Deus requiſiverit, ut multùm ſanè ſubſidant infra illud, quod ex officio præſtare obligantur [p].

[p] *Luc.* 17. 10. *Neh.* 13. 22. *Job.* 9. 1, 3. *Gal.* 5. 17.

§ 5. Peccatorum veniam, aut vitam æternam de Deo mereri non valemus, nè optimis quidem operibus noſtris; cùm propter ſummam illam inter ea & futuram gloriam diſparitatem; tum etiam propter infinitam diſtantiam quæ inter nos ac Deum intercedit,

tercedit; cui nos per illa nec prodeſſe quicquam poſſumus, neque pro antecedentium peccatorum noſtrorum debito ſatisfacere [q]; verùm cum quantum poſſumus fecerimus, non niſi quod debemus præſtiterimus, ac ſervi inutiles futuri ſumus [r]; tum denique quoniam à ſpiritu Dei in quantum bona ſunt proficiſcuntur [ſ], ità verò ſunt coinquinata, tantúmque imperfectionis ac infirmitatis admiſtum habent, prout à nobis efficiuntur, ut ſtrictum Dei judicium non ſint ferendo [t].

[q] *Rom.* 3.20. *Rom.*4.2,4,6. *Eph* 2. 8, 9. *Tit.* 3.5,6,7. *Rom.*8.18. *Pſal.* 16.2. *Job.* 22.2, 3. *Iob.* 35. 7, 8. [r] *Luc.* 17. 10. [ſ] *Gal.* 5.22,23. [t] *Iſa.*64.6. *Gal.*5.17. *Rom.*7.15,18. *Pſal.*143.2. *Pſal.* 130.3.

§ 6. Nihilominus tamen acceptis in gratiam per Chriſtum fidelium perſonis, eorum etiam opera bona per eundem accepta ſunt [u]; non quòd in hac vita ſint omnis culpæ prorſus immunia, quæque in conſpectu Dei nullam reprehenſionem mereantur [*]; verùm quòd illa reſpiciens in filio ſuo Deus, quod ſincerum eſt, utcunque multis infirmitatibus ac imperfectionibus involutum, acceptare dignetur ac remunerari [x].

[u] *Eph.* 1.6. 1 *Pet.* 2. 5. *Exod.*28.38. *Gen.* 4.4.cum *Heb.*11.4. [*] *Iob.* 9. 20. *Pſal.* 143.2. [x] *Heb.*13.20, 21. 2 *Cor.*8.12. *Heb.* 6.10. *Mat.*25.21,23.

§ 7. Opera nondum regenitorum, licèt, quoad materiam præcepto divi-

no conformia eſſe poſſint, ſibíque ipſis & aliis item utilia [y]; cùm tamen neque â corde profluant per fidem depurato [z], nec ſecundùm verbum eo quo par eſt præſtentur modo [a], ſed neque ad finem debitum, Dei nempe gloriam, deſtinentur [b]; ſunt proinde peccata, nec Deo grata eſſe poſſunt, nec reddere quenquam valent idoneum ad gratiam à Deo recipiendum [c]. Ejuſmodi tamen operum neglectu, graviùs quidem illi peccant Deúmque offendunt vehementiùs [d].

y 2 *Reg.* 10. 30, 31. 1 *Reg.* 21. 27, 29. *Phil.* 1. 15, 16, 18. z *Gen.* 4. 5. cum *Heb.* 11. 4. *Heb.* 11. 6. a 1 *Cor.* 13. 3. *Iſa.* 1, 12. b *Mat.* 6. 2, 5, 16 c *Hag.* 2. 14. *Tit.* 1, 15. *Amos.* 5. 21, 22. *Hoſ.* 1. 4. *Rom.* 9. 16. *Tit.* 3. 5. d *Pſal.* 14. 4. *Pſal.* 36. 3. *Job.* 21, 14, 15. *Mat.* 25. 41, 42, 43, 45. *Mat.* 23. 23.

Cap. XVII.

De perſeverantia Sanctorum.

§ 1. Quotquot Deus in dilecto ſuo acceptavit, vocavit efficaciter ac per Spiritum ſuum ſanctificavit, non poſſunt illi ſtatu gratiæ aut finaliter excidere aut totaliter; verùm in eo ad finem uſque certò perſeverabunt, ac ſalutem æternam conſequentur [a].

a *Phil.* 1. 6. 2 *Pet.* 1. 10. *Joh.* 10. 28, 29. 1 *Joh.* 3. 9. 1 *Pet.* 1. 5, 9.

§ 2. Hæc

§ 2. Hæc autem ſanctorum perſeverantia, non pendet à libero ipſorum arbitrio, verùm à decreti electionis immutabilitate, (quod ex amore Dei Patris fluxit, gratuito illo ac immutabili[b]) à meriti Jeſu Chriſti ac interceſſionis efficacia[c], à Spiritûs & ſeminis Dei in iis permanſione[d]; à natura denique fœderis gratiæ[e]; è quibus omnibus etiam emergit certitudo ejuſdem & infallibilitas[f].

§ 3. Nihilo tamen minùs fieri poteſt ut iidem illi, quà Satanæ mundíq; tentatione, quà manentis adhuc in iis corruptionis prævalentiâ, & neglectu mediorum conſervationis ſuæ, in peccata gravia incidant[g], in eíſque ad tempus commorentur[h]; unde iram Dei ſibi ipſis contrahunt[i], ejúſque Spiritum Sanctum contriſtant[k], gratias ſuas & conſolationes quadantenus & quoad gradus nonnullos amittunt[l], corda ſibi habent indurata[m], & vulneratas conſcientias[n]; aliis nocumento ſunt & offendiculo[o], ſibimet ipſis denique acçerſunt judicia Dei temporalia[p].

[b] *2 Tim.* 2. 18, 19. *Jer.* 31. 3

[c] *Heb.* 10. 10, 14 *Heb.* 13. 20, 21. *Heb.* 9. 12, 13, 14, 15. *Rom.* 8. 33. ad finem. *Joh.* 17. 11, 24. *Luc.* 22. 32. *Heb.* 7. 25.

[d] *Joh.* 14. 16, 17 1 *Joh.* 2. 27. 1 *Joh.* 3. 9.

[e] *Jer.* 32. 40.

[f] *Joh.* 10. 28. 2 *Theſ.* 3. 3. 1 *Joh.* 2. 19.

[g] *Mat.* 26. 70, 72, 74.

[h] *Pſal.* 51, titulo & verſ. 14.

[i] *Iſai.* 54. 5, 7, 9. 2 *Sam.* 11. 27.

[k] *Eph.* 4 30.

[l] *Pſal.* 51. 8, 10 12. *Apoc.* 2. 4. *Cant.* 5, 2, 3, 4, 6

[m] *Iſa.* 63. 17. *Marc.* 6. 52. *Marc.* 16. 14.

[n] *Pſal.* 32. 3, 4. *Pſal.* 51. 8.

[o] 2 *Sam.* 12. 14.

[p] *Pſal.* 89. 31, 32. 1 *Cor.* 11. 32.

Cap. XVIII.

De certitudine gratiæ & ſalutis.

§. 1. Quamvis fieri poteſt ut hypocritæ, aliíque homines non regeniti ſpe vanâ falsíſque (pro corruptæ naturæ more) opinionibus præſumptis, ſe decipiant, favorem Dei, ſtatúmque ſalutis ſibi falsò arrogantes [a]; quæ illorum ſpes peribit [b]: qui tamen in Dominum Jeſum verè credunt, cúmque ſincerè diligunt, ſtudentes coram ipſo in omni bona conſcientia ambulare; evadere poſſunt in hac vita certi ſe in ſtatu gratiæ eſſe conſtitutos [c]; quin etiam lætari poſſunt ſpe gloriæ Dei, quæ quidem ſpes nunquam eos pudefaciet [d].

a Iob. 8.13,14. Mic. 3.11. Deut. 29.19. Joh. 8.41. b Mat. 7.22,23.

c 1 Ioh. 2.3. 1 Ioh. 3.14,18,19,21,24. 1 Ioh. 5.13. d Rom. 5.2,5.

§ 2. Hæc certitudo non eſt perſuaſio merè conjecturalis & probabilis, innixa ſpe fallaci [e]; verùm infallibilis quædam fidei certitudo, fundamentum habens divinam promiſſionum ſalutis veritatem [f]; gratiarum, quibus promiſſiones illæ fiunt internam evidentiam [g]; teſtimonium denique ſpiritûs

e Heb. 6.11,19. f Heb. 6.17,18. g 2 Pet. 1.4,5,10,11. 1 Ioh. 2.3. 1 Ioh. 3.14. 2 Cor. 1.12.

ritûs adoptionis unà cum ſpiritibus noſtris teſtificantis nos eſſe filios Dei [h]; qui quidem ſpiritus arrhabo eſt hæreditatis noſtræ, quo in diem redemtionis ſigillamur [i].

§ 3. Hæc certitudo infallibilis, non itá ſpectat eſſentiam fidei, quin verè fidelis expectare quandoque diutiùs, & cum variis difficultatibus confligere priùs poſſit, quàm illius compos fiat [k], verùm poterit idem ordinariorum uſu debito mediorum, abſque revelatione ulla extraordinaria eam adipiſci [l], ſpiritu nempe quæ Deus illi gratuitò donaverit cognoſcendi facultatem ſubminiſtrante. Proindéq; tenetur quiſq;, quò vocationem ſuam ſibi & electionem certam faciat, omnem adhibere diligentiam [m], unde cor ſuum habeat pace & gaudio in ſpiritu ſancto, in Deum amore & gratitudine, in actibus obſervantiæ robore & alacritate dilatatum; qui certitudinis hujus fructus proprii ſunt ac genuini [n]. Tantùm abeſt ut homines indè ad omnem nequitiam diſcingantur [o].

§ 4. Certitudo ſalutis verè fidelibus

[h] *Rom.* 8.15, 16.
[i] *Eph.* 3.13, 14. *Eph.* 4.30. 2 *Cor.* 1.21, 22.
[k] 1 *Joh.* 5.13. *Iſa*, 50.10. *Marc.* 9.24. *Pſal.* 88. per totum. *Pſal.* 77. ad verſ. 12.
[l] 1 *Cor.* 2.12. 1 *Joh.* 4.13. *Heb.* 6.11, 12. *Eph* 3.17, 18, 19.
[m] 2 *Pet.* 1.10.
[n] *Rom.* 5.1, 2, 5. *Rom.* 14.17. *Rom.* 15.13. *Eph.* 1.3, 4. *Pſal.* 4.6, 7. *Pſal.* 119.32.
[o] 1 *Joh.* 2.1, 2. *Rom.* 6.1, 2. *Tit.* 2.11, 12, 14. 2 *Cor.* 7.1. *Rom.* 8.1, 12. 1 *Joh.* 3.2, 3. *Pſal.* 130.4. 1 *Joh.* 1.6, 7.

bus multifariàm concuti poteſt & imminui imò & quandoque interrumpi; conſervandi ſcilicet eam incuriâ; lapſu in peccatum aliquod inſigne, quod conſcientiam vulnerat, ſpiritúmque contriſtat; tentatione aliquâ vehementi ac ſubitaneâ; utì etiam Deo vultûs ſui lumen ſubducente, ac permittente ut vel illi qui ipſum timent in tenebris ambulent omni prorſus lumine viduati [p]: Nunquam tamen deſtituuntur penitus illo Dei ſemine vitâque fidei. Chriſti illâ fratrúmque dilectione, eâ ſinceritate cordis & pietatis officia præſtandi conſcientiâ; unde per operationem ſpiritûs eadem illa certitudo tempeſtivè poſſit reviviſcere [q]: quibúsque interim nè prorſus in deſperationem ruant ſuſtulciuntur [r].

[p] *Cant*. 5. 2, 3, 6. *Pſ*. 51. 8, 12, 14. *Eph*. 4. 30, 31. *Pſ*. 77. 1. ad 10. *Mat*. 26. 69, 70. 71, 72. *Pſal*. 31. 22. *Pſal*. 88. per totum. *Iſa*. 50. 10.
[q] 1 *Ioh*. 3. 9. *Luc*. 22. 32. *Iob*. 13. 15. *Pſal*. 73. 15. *Pſal*. 51. 8, 12. *Iſa*. 50. 10.
[r] *Mic*. 7. 7, 8, 9. *Ier*. 32. 40. *Iſa*. 54. 7, 8, 9, 10. *Pſal*. 22. 1. *Pſal*. 88. per totum.

CAP. XIX.

De Lege Dei.

§ I. DEus Adamo legem dedit ut fœdus operum, quo cùm illum ipſum tum poſteros ejus omnes, ad

ad obedientiam perſonalem, integram, exquiſitam ſimul & perpetuam obligavit, pollicitus vitam ſi obſervarent, violatoribus autem mortem interminatus; Eundemque potentiâ & viribus imbuit, quibus par eſſet illam obſervando [a].

§ 2. Lex iſta poſt lapſum non deſiit eſſe juſtitiæ regula perfectiſſima; quo etiam nomine à Deo eſt in monte Sinai tradita, tabulis duabus deſcripta, decem præceptis comprehenſa [b]; quorum quatuor prima officium noſtrum erga Deum, ſex autem reliqua noſtrum erga homines officium complectuntur [c].

§ 3. Præter autem hanc legem, quæ moralis vulgò audit, viſum eſt Deo ut populo Iſraelitico tanquam Eccleſiæ minorenni leges daret ceremoniales inſtituta typica multifaria continentes; Partim de cultu, Chriſti gratias, actiones, perpeſſiones ac beneficia præfigurantia [d]; partim autem de moralibus officiis inſtitutiones varias exhibentia [e]. Quæ leges ceremoniales omnes hodie ſub

[a] *Gen.* 1.26, 27. cum *Gen.* 2.17. *Rom.* 2.14, 15. *Rom.* 10.5. *Rom.* 5.12, 19. *Gal* 3.10, 12. *Eccles.* 7.29. *Iob.* 28.28.

[b] *Iac.* 1.25. *Iac.* 2. 8, 10, 11, 12. *Rom.* 13.8, 9. *Deut.* 5.32. *Deut.* 10.4. *Exod.* 34.1.

[c] *Mat.* 22.37, 38, 39, 40.

[d] *Heb.* 9. cap. *Heb.* 10.1. *Gal.* 4.1, 2, 3. *Col.* 2.17.

[e] 1 *Cor.* 5.7. 2 *Cor.* 6.17. *Iudæ* v. 23.

novo inſtrumento ſunt abrogatæ [f].

§ 4. Iiſdem etiam tanquam corpori politico leges multas dedit judiciales, quæ unà cum iſtius populi politeia expirârunt, nullos hodie alios obligantes ſupra quod generalis & communis earum æquitas poſtulârit [g].

§ 5. Lex moralis omnes tam juſtificatos quàm alios quoſvis perpetuò ligat ad obedientiam illi exhibendam [h]; neque id quidem ſolummodo vi materiæ quæ in illa continetur, verùm etiam virtute authoritatis eandem conſtituentis creatoris Dei [i]; neque ſanè hoc ejus vinculum in evangelio ullâ ratione diſſolvit Chriſtus, verùm idem plurimùm confirmavit [k].

§ 6. Quamvìs verè fideles non ſint ſub lege tanquam ſub operum fœdere, unde aut juſtificari poſſint aut condemnari [l]: Eſt tamen ea illis non minùs quàm aliis vehementer utilis, ut quæ quum ſit vitæ norma, illos voluntatem divinam ſuúmq, officium edocendo dirigit ſimul & obligat ad conſentaneè ambulandum [m]; ipsíſque patere facit naturæ, cordis, vitæque ſuæ

[f] *Col.*2.14,16, 17. *Dan.*9.27. *Eph.*2.15,16.
[g] *Exod.*21.cap. *Exod.*22.1, ad 29. *Gen.*49.10. cum 1 *Pet.*2. 13, 14. *Mat.*5.17. cum v. 38.39. 1 *Cor.*9.8,9,10.
[h] *Rom.*13.8, 9, 10. *Eph.*6.2. 1 *Ioh.*2.3.4, 7, 8.
[i] *Iac.*2.10,11.
[k] *Mat.*5.17,18, 19. *Iac.*2.8. *Rom.*3.31.
[l] *Rom.*6.14. *Gal.*2.16. *Gal.*3.13. *Gal.*4.4,5. *Act.*13.39. *Rom.*8.1.
[m] *Rom.*7.12, 22, 25. *Pſal.*119.4,5, 6. 1 *Cor.*7.19. *Gal.*5.14,16. 18,19,20,21, 22, 23.

ſuæ nefaria inquinamenta [n]: adeo ut ad illam ſemet exigentes, cùm peccati ulteriùs convinci, pro eodem humiliari, ac ejuſdem odio inflammari poſſint [o]; tum verò etiam ut perſpicere poſſint evidentiùs quàm planè neceſſarius eis Chriſtus, quámque perfecta ſit ejuſdem obedientia [p]. Verùm ulteriùs etiam regenitis ea utilis eſſe poſſit, in quantum nempe corruptiones eorum, peccata prohibendo coercet [q], graviter autem interminando indicat tum quid vel eorum peccata commeruerint, tum etiam quas ea propter in hac vita afflictiones expectare poſſint, utcunq; ab earum maledictione, quam lex minatur, liberentur [r]. Quinetiam promiſſiones ejus demonſtrant iis obedientia Deo quàm accepta ſit & approbata; quáſque illâ præſtitâ benedictiones [ſ] (licet non tanquam lege debitas ex operum fœdere [t]) poſſint illi expectare. Adeò ut quòd quis bonum præſtet invitante lege, à malo autem abhorreat lege deterritus, nullo prorſus argumento ſit, eum ſub lege eſſe, non verò ſub gratia conſtitutum [u].

[n] *Rom.* 7.7. *Rom.* 3. 20.

[o] *Iac.* 1. 23, 24, 25. *Rom.* 7.9, 14, 24.

[p] *Gal.* 3. 24. *Rom.* 7. 24, 25. *Rom.* 8. 3, 4.

[q] *Jac.* 2. 11. *Pſal.* 119. 101, 104, 128.

[r] *Ezra.* 9. 13, 14. *Pſal.* 89. 30, 31, 32, 33, 34.

[ſ] *Levit.* 26. 1. ad 14. cum 2*Cor.* 6. 16. *Eph.* 6. 2, 3. *Pſal.* 37. 11. cum *Mat.* 5. 5. *Pſal.* 19. 11.

[t] *Gal.* 2. 16. *Luc.* 17. 10.

[u] *Rom.* 6. 12, 14. 1 *Pet.* 3. 8, 9, 10, 11, 12. cum *Pſal.* 34. 12, 13, 14, 15, 16. *Heb.* 12. 28, 29.

§ 7. Neque interim Legis uſus iſti jam memorati, Evangelii gratiæ adverſantur, ſed cum eadem conſpirant ſuaviter *, voluntatem humanam ità ſubjugante ac imbuente Christi ſpiritu, ut idem illud præſtare valeat ſpontaneè ac alaciter, quod ab illa exigit voluntas Dei in lege ſua revelata [x].

* Gal. 3. 21.

x Ezech. 36. 27. Heb. 8, 10. cum Ier. 31. 33.

Cap. XX.

De Libertate Chriſtiana déque libertate Conſcientiæ.

§ 1. Libertas quam Chriſtus acquiſivit fidelibus ſub Evangelio in eo ſita eſt, quòd à reatu peccati, ab irâ Dei condemnante, á legis Moralis maledictione immunes fiant [a], quòd à præſenti malo ſeculo, à dura Satanæ ſervitute, dominióque peccati [b]: ab afflictionum malo, ab aculeo mortis, à ſepulchri victoria, ab æterna denique damnatione [c] liberentur; Quódque liberè eis liceat ad Deum accedere [d]: eíque non è metu ſervile, verùm è filiali dilectione, promtóque animo præbere

a Tit. 2. 14. 1 Theſ. 1. 10. Gal. 3. 13.
b Gal. 1. 4. Col. 1. 13. Act. 26. 18. Rom. 6. 14.
c Rom. 8. 28. Pſal. 119. 71. 1 Cor. 15. 54, 55, 56, 57. Rom. 8. 1.
d Rom. 5. 1, 2.

bere valeant obedientiam [e]. Atque hæc quidem omnia cum fidelibus ſub lege habent communia [f]. Verùm ſub Novo Teſtamento ulteriùs adhuc ſe extendit libertas Chriſtiana; in quantum nempe Legis ceremonialis jugo, cui ſubjecta erat Eccleſia Judaica; eximuntur [g]; majorémque confidentiam ad thronum gratiæ accedendi [h], ſed & effuſiorem gratuiti Spiritûs Dei communicationem ſunt conſecuti; quàm ordinariè ſub Lege fideles participârunt [i].

§ 2. Deus ſolus Dominus eſt conſcientiæ [k], quam certè exemit doctrinis & mandatis hominum, ubi aut verbo ejus adverſantur, aut in rebus fidei & cultûs quicquam ei ſuperaddunt [l]. Unde qui ejuſmodi aut doctrinas credunt, aut mandatis obtemperant, quaſi ad id ex conſcientia teneantur; veram ii conſcientiæ libertatem produnt [m]: Qui autem vel fidem implicitam, vel obedientiam abſolutam cæcámque exigunt, næ illi id agunt, ut cùm conſcientiæ, tum rationis etiam deſtruant libertatem [n].

[e] *Rom.* 8. 14, 15. 1 *Joh.* 4. 18.
[f] *Gal.* 3. 9, 14.
[g] *Gal.* 4. 1, 2, 3, 6, 7. *Gal.* 5. 1. *Act.* 15. 10, 11.
[h] *Heb.* 4. 14, 16. *Heb.* 10. 19, 20, 21, 22.
[i] *Joh.* 7. 38, 39. 2 *Cor.* 3. 13, 17, 18.
[k] *Iac.* 4. 12. *Rom.* 14. 4.
[l] *Act.* 4. 19. *Act.* 5. 29. 1 *Cor.* 7. 23. *Mat.* 23. 8, 9, 10. 2 *Cor.* 1. 24. *Mat.* 15. 9.
[m] *Col.* 2. 20, 22, 23. *Gal.* 1. 10. *Gal.* 2. 4, 5. *Gal.* 5. 1.
[n] *Rom.* 10. 17. *Rom.* 14. 23. *Iſa.* 8. 20. *Act.* 17. 11. *Joh.* 4. 22. *Hoſ.* 5. 11. *Apoc.* 13. 12, 16, 17. *Jer.* 8. 9.

§ 3. Qui ſub prætextu Chriſtianæ libertatis, cuivis aut cupiditate indulgent aut peccato aſſueſcunt, eo ipſo libertatis Chriſtianæ finem corrumpunt; nempe ut è manibus inimicorum noſtrorum liberati, Domino in ſanctimonia & juſtitia coram ipſo omnibus diebus vitæ noſtræ abſque metu ſerviamus [o].

[o] *Gal.* 5. 13. 1 *Pet.* 2. 16. 2 *Pet.* 2. 19. *Joh.* 8. 34. *Luc.* 1. 74, 75.

§ 4. Quoniam verò poteſtates quas Deus ordinavit, & libertas quam acquiſivit Chriſtus non in eum finem à Deo deſtinatæ ſunt ut ſe mutuò perimant, verùm ut ſe ſuſtentent ac conſervent invicem; Qui itaque ſub libertatis Chriſtianæ prætextu poteſtati cuivis legitimæ, (civilis ſit ſive Eccleſiaſtica) aut legitimo ejuſdem exercitio contraiverint, ordinationi divinæ reſiſtere cenſendi ſunt [p], Quique vel ejuſmodi opiniones publicaverint, praxéſve defenderint, quæ lumini naturæ, aut religionis Chriſtianæ de fide, de cultu, aut moribus principiis notis, aut pietatis denique vi ac efficaciæ adverſantur; vel ejuſmodi opiniones praxéſve erroneas, quæ aut ſuâ natu-

[p] *Mat.* 12. 25. 1 *Pet.* 2. 13, 14, 16. *Rom.* 13. 1. ad 8. *Heb.* 13. 17.

râ aut publicationis defenſionísve modo, externæ paci ac eutaxiæ, quas in Eccleſia ſua ſtabilivit Chriſtus, perniciem minitantur; omnino licitum eſt tum ab iis facti rationem repoſcere, tum in eos quà cenſuris Eccleſiaſticis [q], quà civilis magiſtratûs poteſtate animadvertere [r].

[q] *Rom.* 1. 32, cum 1 *Cor.* 5. 5, 11, 13. 2 *Joh.* v. 10. 1 & 2 *Theſ.* 3. 1, & 1 *Tim.* 6. 3, 5 & *Tit.* 1. 10, 11, 13. & *Tit.* 3. 10, cum *Matth.* 18. 15, 16, 17. 1 *Tim.* 1. 19, 20. *Apoc.* 2. 2, 14, 15, 20. *Apoc.* 3, 9. [r] *Deut.* 13. 6, ad 12. *Rom.* 13. 3, 4. cum 2 *Joh.* v. 10, 11. *Ezra* 7. 23, 25. 26, 27, 28. *Apoc.* 17, 12, 16, 17. *Nehem.* 13. 15, 17, 21, 22, 25, 30. 2 *Reg.* 23. 5, 6, 9, 20, 21, 2 *Chron* 34 33. 2 *Chron.* 15. 12, 13, 16. *Dan.* 3, 29. 1 *Tim.* 2. 2. *Iſa.* 49, 23. *Zech.* 13. 2, 3.

CAP. XXI.

De cultu religioſo & de Sabbato.

§ 1. CONſtat quidem naturæ lumine eſſe Deum qui in univerſa Primatum obtinet ac abſolutum Dominium, eundémque bonum eſſe ac omnibus beneficum, proindéque toto corde, totâ animâ, totíſque viribus timendum eſſe & diligendum, laudandum ac invocandum, eíque fidendum eſſe ac ſerviendum [a]. At rationem verum Deum colendi accepta-

[a] *Rom.* 1. 20. *Act.* 17. 24. *Pſal.* 119. 68. *Jer.* 10. 7. *Pſal* 31. 23. *Pſal.* 18. 3. *Rom.* 10. 12. *Pſal.* 62. 8. *Joſ.* 24. 14. *Marc.* 12. 33.

bilem ipſe inſtituit, itaque voluntate ſuâ revelatâ definivit, ut coli non debeat ſecundùm imaginationes ac inventa hominum, aut ſuggeſtiones Satanæ, ſub ſpecie quavis viſibili, aut aliâ viâ quâviſcunque quam ſcriptura ſacra non præſcripſit[b].

§ 2. Cultus religioſus Deo Patri Filio & Spiritui ſancto, eíque ſoli eſt exhibendus[c], non angelis, non ſanctis, neque alii cuivis creaturæ[d], nec ipſi Deo quidem poſt lapſum citra Mediatorem, aut quidem per Mediatorem alium quàm Jeſum Chriſtum[e].

§ 3. Supplicationem cum gratiarum actione, quæ eſt inter partes præcipuas divini cultûs[f], Deus fieri jubet ab hominibus univerſis[g]; quæ, quò Deo grata ſit & accepta, eſt in nomine Filii[h], ſubſidio ſpiritûs ejus[i], & ſecundùm ipſius voluntatem[k], cum intellectu, reverentiâ, humilitate, fervore, fide, amore, ac perſeverantiâ offerenda[l]; & quidem, ſi vocalis ſit, in lingua nota eſt efferenda[m].

§ 4. Preces pro rebus non niſi licitis ſunt faciendæ[n], pro hominibus autem

[b] *Deut.* 12.32. *Mat.* 15.9. *Act.* 17.25. *Mat.* 4.9,10. *Deut.* 4.15. ad 20. *Exod.* 20.4,5,6 *Col.* 2.23.
[c] *Mat.* 4.10. cum *Joh.* 5.23. & 2*Cor.* 13.14.
[d] *Col.* 2.18. *Apoc.* 19.10. *Rom.* 1.25.
[e] *Joh.* 14.6. 1 *Tim*, 2.5. *Eph.* 2.18. *Col.* 3.17.
[f] *Phil.* 4.6.
[g] *Psal.* 65.2.
[h] *Joh.* 14.13,14 1 *Pet.* 2.5.
[i] *Rom.* 8.26.
[k] 1 *Joh.* 5.14.
[l] *Pſal.* 47,7. *Eccles.* 5.1,2. *Heb.* 12.28. *Gen.* 18.27. *Jac.* 5.16. *Jac.* 1.6,7. *Marc.* 11.24. *Mat.* 6.12,14, 15. *Col.* 4.2. *Eph.* 6.18,
[m] 1 *Cor.* 14.14.
[n] 1 *Joh.* 5.14.

autem cujuſcunque generis, vivis ſcilicet, aut etiam victuris aliquando [o]; pro mortuis autem neutiquam [p]; ſed neq; pro iis, de quibus conſtare poſſit eos peccatum ad mortem perpetrâſſe [q].

§ 5. Scripturarum lectio cum timore pio [r]; verbi prædicatio ſolida [ſ], ejuſdémque auditio religioſa ex obedientia erga Deum, cum intellectu, fide & reverentia [t]; Pſalmorum cum gratia in corde cantatio [u], prout etiam Sacramentorum, quæ Chriſtus inſtituit, debita adminiſtratio, & participatio digna, ſunt divini cultûs religioſi partes, & quidem ordinarii [*]. Religioſa inſuper juramenta [x], votáque [y]; ſolennia jejunia [x], ſolennéſque gratiarum actiones, pro varietate eventuum [a] ſuo quæque tempore ac opportunitate ſanctè quidem ac religioſè ſunt adhibenda [b].

[n] 1 *Tim.* 2. 1, 2. *Joh.* 17. 20. 2 *Sam.* 7. 29. *Ruth.* 4, 12.
[p] 2 *Sam.* 12, 21, 22, 23. cum *Luc.* 16. 25, 26. *Apoc.* 14. 13.
[q] 1 *Joh.* 5. 16.
[r] *Act.* 15. 21. *Apoc.* 1. 3.
[ſ] 2 *Tim.* 4. 2.
[t] *Jac.* 1. 22. *Act.* 10. 33. *Mat.* 13, 19. *Heb.* 4. 2. *Iſa.* 66. 2.
[u] *Col.* 3. 16. *Eph.* 5. 19. *Jac.* 5. 13.
[*] *Mat.* 28. 19. 1 *Cor.* 11, 23. ad 29. *Act.* 2. 42.
[x] *Deut.* 6, 13. cum *Neh.* 10, 29
[y] *Iſa.* 19, 21. cum *Eccles.* 5. 4, 5.
[z] *Joel.* 2. 12. *Eſter.* 4. 16. *Matth.* 9, 15. 1 *Cor.* 7. 5.
[a] *Pſal.* 107. per totum *Eſter.* 9, 22.
[b] *Heb.* 12. 28.

§ 6. Hodie ſub evangelio neque preces, nec ulla pars alia religioſi cultûs ità cuivis alligatur loco in quo

præſtetur aut versùs quem dirigatur [c], ut indè gratior evadat & acceptior; verùm ubíque Deus colendus eſt [d] in ſpiritu ac veritate [e]; quotidie [f] quidem inter privatos parietes à quavis familia [g], ut etiam à quolibet ſeorſim in ſecreto [h]; at ſolenniter magìs in conventibus publicis, qui certè quoties eò nos Deus vocat, ſeu verbo ſuo ſeu providentiâ, non ſunt vel ex incuria vel obſtinatione animi aut negligendi aut deſerendi [i].

[c] *Joh.* 4.21.
[d] *Mal.* 1.11. 1 *Tim.* 2.8.
[e] *Joh.* 4.23,24.
[f] *Matth.* 6.11.
[g] *Jer.* 10.25. *Deut.* 6.6,7. *Job.* 1.5. 2 *Sam.* 6.18, 20. 1 *Pet.* 3.7. *Act.* 10.2.
[h] *Mat.* 6.6. *Eph.* 6.18.
[i] *Iſa.* 56.6,7. *Heb.* 10.25. *Prov.* 1.20,21, 24. *Prov.* 8.34. *Act.* 13.42. *Luc.* 4.16. *Act.* 2.42.

§ 7. Quemadmodum eſt de lege naturæ ut indefinitè portio quædam temporis idonea divino cultui celebrando ſejuncta ſit ac aſſignata; ità in verbo ſuo Deus (præcepto morali, poſitivo ac perpetuo, homines omnes cujuſcunque fuerint ſeculi obligante) ſpeciatim è ſeptenis quibuſque diebus diem unum in Sabbatum deſignâvit, ſanctè ſibi obſervandum [k]. Quod quidem ab orbe condito ad reſurrectionem uſque Chriſti dies ultimus erat in ſeptimana; deinde autem à Chriſti reſurrectione in ſeptimanæ diem primum transferebatur [l]; qui quidem

[k] *Exod.* 20.8, 10, 11. *Iſa.* 56.2,4,6,7.
[l] *Gen.* 2.2,3. 1 *Cor.* 16.1,2. *Act.* 20.7.

quidem in Scriptura *Dies Dominicus* [m] nuncupatur, éſtque perpetuò ad finem mundi tanquam Sabbatum Chriſtianum celebrandus [n].

[m] *Apoc.*1.10.
[n] *Exod.*20.8, 10. cum *Matth.*5.17,18.

§ 8. Tunc autem hoc Sabbatum Deo ſanctè celebratur, quum poſt corda ritè præparata, & compoſitas ſuas res mundanas, homines, non ſolùm à ſuis ipſorum operibus, dictis, cogitatis; (quæ circa illas exerceri ſolent) à recreationibus etiam ludicris quietem ſanctam toto obſervant die [o]; verùm etiam in exercitiis divini cultûs publicis privatíſque, ac in officiis neceſſitatis & miſericordiæ toto illo tempore occupantur [p].

[o] *Exod.*20.8. *Exod.*16.23, 25,26,29,30. *Exod.*31.15, 16,17. *Iſa.*58.13. *Nehem.*13.15, 16,17,18,19, 21,22.
[p] *Iſa.*58.13. *Mat.*12,1. ad 13.

Cap. XXII.

De Juramentis, votíſq; licitis.

§ 1. Juramentum licitum eſt pars cultûs religioſi [a], quâ (occaſione juſtâ oblatâ) qui jurat, Deum, de eo quod aſſerit aut promittit, ſolenni modo teſtatur; eundémque appellat ſe ſecundùm illius quod jurat veritatem

[a] *Deut.*10.20.

[b] *Exod.*20.7. *Levit.*19.12. 2 *Cor.*1.23. 2 *Chron.*6.22, 23.

tatem aut falſitatem judicaturum[b].

§ 2. Per ſolum Dei nomen jurare debent homines, quod quidem cum omni timore ſancto ac reverentia eſt inibi uſurpandum[c]. Proindéque per nomen illud glorioſum ac tremendum jurare leviter, aut temerè, vel etiam omnino jurare per rem aliam quamviſcunque, ſceleratum eſt & quàm maximè perhorreſcendum[d]. Veruntamen ſicut in rebus majoris ponderis & momenti ſecundùm verbum Dei licitum eſt jusjurandum non minùs quidem ſub Novo quàm ſub Vetere Teſtamento[e]: ità ſanè jusjurandum licitum, authoritate legitimâ ſi exigatur, non eſt in rebus ejuſmodi declinandum[f].

[c] *Deut.*6.13.

[d] *Exod.*20.7. *Jer.*5.7. *Mat.*5.34,37. *Jac.*5.12.

[e] *Heb.*6.16. 2 *Cor.*1.23. *Iſa.*65.16.

[f] 1 *Reg.*8.31. *Neh.*13.25. *Ezra.*10.5.

§ 3. Quicunque juramentum præſtat eum pondus actionis tam ſolennis ritè ſecum perpendere oportet, atque juratum de nullo aſſeverare quod verum eſſe non habeat ſibi perſuaſiſſimum[g]. Neque licet cuivis ad agendum quicquam obſtringere ſemet jurejurando, niſi quod reverâ bonum juſtúmque eſt, quod ille ejuſmodi eſſe credit,

[g] *Exod.*20.7. *Jer.*4.2.

credit, quódque ipſe præſtare poteſt ſtatuitque [h]. Veruntamen de re bona juſtáque jusjurandum, legitimâ authoritate ſi exigatur, peccat ille qui detrectat [i].

§ 4. Juramentum præſtandum eſt ſenſu verborum vulgari quidem ac manifeſto, ſine æquivocatione aut reſervatione mentali quaviſcunque [k]. Ad peccandum quenquam obligare nequit, verùm in re qualibet cui abeſt peccatum, qui ſemel illud præſtitit, adimplere tenetur, vel etiam cum damno ſuo; neque ſanè licet, quamvìs hæreticis datum aut infidelibus, violare [m].

§ 5. Votum, naturæ conſimilis eſt cum juramento promiſſorio, paríque debet tum religione nuncupari tum fide perſolvi [n].

§ 6. Non eſt ulli creaturæ, ſed Deo ſoli nuncupandum [o], & quò gratum illi eſſe poſſit acceptúmque, eſt quidem lubenter, è fide, officiíque noſtri conſcientia ſuſcipiendum, vel gratitudinis noſtræ ob accepta beneficia teſtandæ causâ, vel boni alicujus, quo indigemus,

[h] Gen. 24. 2, 3, 5, 6, 8, 9.
[i] Num. 5. 19, 21. Neh. 5. 12. Exod. 22. 7, 8, 9, 10, 11.
[k] Jer. 4. 2. Pſal. 24. 4.
[l] 1 Sam. 25. 22, 32, 33, 34. Pſal. 15. 4.
[m] Ezech. 17. 16. 18, 19. Joſh. 9. 18, 19. cum 2 Sam. 21. 1.
[n] Iſa. 19. 21. Eccleſ. 5. 4, 5, 6. Pſal. 61. 8. Pſal. 66. 13, 14.
[o] Pſal. 76. 11. Jer. 44. 25, 26.

mus, conſequendi; per hoc autem noſmet ad officia neceſſaria arctiùs obligamus; vel etiam ad res alias quatenus quidem & quamdiu iſtis ſubſerviunt [p].

[p] Deut.23.21, 22, 23. Pſal.50.14. Gen.28.20,21, 22. 1 Sam.1.11. Pſal.66.13,14. Pſal.132.2,3, 4,5.

§ 7. Nemini quicquam vovere licet ſe acturum, quod aut verbo Dei prohibetur; aut officium aliquod inibi præceptum impediret, quódve non eſt in voventis poteſtate, & cui præſtando vires illi Deus non eſt pollicitus [q]. Unde Pontificiorum illa de perpetuo cœlibatu, de paupertate, déq; obedientia regulari vota Monaſtica, tantum abeſt ut perfectionis gradus ſint ſublimiores, ut ſuperſtitionis planè ſint ac peccati laquei, quibus nulli unquam Chriſtiano ſemetipſum licet implicare [r].

[q] Act.23.12, 14. Marc.6.26. Num.30.5,8, 12,13.

[r] Matth.19.11, 12. 1 Cor.7.2,9. Eph.4.28. 1 Pet. 4. 2. 1 Cor. 7. 23.

Cap. XXIII.

De Magiſtratu Civili.

§ 1. Supremus totius Mundi Rex ac Dominus Deus, Magiſtratus Civiles ordinavit qui vices ejus gerant ſupra populum ad ſuam ipſius gloriam, ac bonum publicum; in quem finem

nem eoſdem armavit poteſtate gladii, propter bonorum quidem animationem ac tutamen, animadverſionem autem in maleficos [a].

§ 2. Chriſtianis, quoties ad id vocantur, Magiſtratûs munus & ſuſcipere licet & exequi [b]; in quo quidem gerendo, ut pietatem præcipuè, juſtitiam, ac pacem ſecundùm ſalubres cujuſque Reipublicæ leges tueri debent [c], ità quò illum finem conſequantur, licitum eſt iis vel hodie ſub Novo Teſtamento in cauſis juſtis ac neceſſariis bellum gerere [d].

§ 3. Magiſtratui Civili verbi & ſacramentorum adminiſtrationem, aut clavium regni cœlorum poteſtatem aſſumere ſibi non eſt licitum [e]: nihilo tamen minùs & jure poteſt ille, eíque incumbit providere ut Eccleſiæ unitas ac tranquillitas conſervetur, ut veritas Dei pura & integra cuſtodiatur, ut ſupprimantur blaſphemiæ omnes, hæreſéſque, ut in cultu ac diſciplina omnes corruptelæ ac abuſus aut præcaveantur aut reformentur, omnia denique inſtituta divina, ut ritè ſtatu-

[a] *Rom.* 13. 1, 2, 3, 4. 1 *Pet.* 2. 13, 14.

[b] *Prov.* 8. 15, 16. *Rom.* 13. 1, 2, 4.

[c] *Pſal.* 2. 10, 11, 12. 1 *Tim.* 2. 2. *Pſal.* 82. 3, 4. 2 *Sam.* 23. 3. 1 *Pet.* 2. 13.

[d] *Luc.* 3. 14. *Rom.* 13. 4. *Matt.* 8. 9, 10. *Act.* 10. 1, 2. *Apoc.* 17. 14, 16

[e] 2 *Chro.* 26. 18. cum *Mat.* 18. 17. & *Mat.* 16. 19. 1 *Cor.* 12. 28, 29. *Eph.* 4. 11, 12. 1 *Cor.* 4. 1, 2. *Rom.* 10. 15. *Heb.* 5. 4.

minentur,

minentur, adminiſtrentur, obſerventur [f]. Quæ omnia quò meliùs præſtare poſſit, poteſtatem habet tum Synodos convocandi, tum ut ipſis interſit, proſpiciátque, ut quicquid in iis tranſigatur ſit menti divinæ conſentaneum [g].

§ 4. Debet populus pro Magiſtratibus preces fundere [h], perſonas eorum honore proſequi [i], tributa aliáque eis debita perſolvere [k], obtemperare licitis eorum mandatis, ac propter conſcientiam ſubjici illorum authoritati [l]; quæ ſi juſta ſit ac legitima, non eam illorum infidelitas, non religio diverſa caſſam reddit, neque populum liberat à debitæ illis obedientiæ præſtatione [m]; quâ viri quidem Eccleſiaſtici non eximuntur [n], multò minùs in ipſos magiſtratus, intra ditionem ſuam, aut ex eorum populo quemvis poteſtatem ullam habet aut juriſdictionem Papa Romanus, minimè verò omnium vitâ illos aut principatu exuendi, ſi ipſe ſcilicet eos hæreticos eſſe judicaverit, vel etiam alio prætextu quoviſcunque [o].

[f] Iſa. 49. 23. Pſal. 122. 9. Ezra. 7. 23, 25. 26, 27, 28, Lev. 24. 16. Deut. 13. 5, 6, 12. 2 Reg. 18. 4. 1 Chron. 13. 1. ad 9. 2 Reg. 23. 1. ad 26. 2 Chron. 34. 33. 2 Chron. 15. 12, 13.
[g] 2 Chron. 19. 8, 9, 10, 11. 2 Chron. 29. 30. cap. Matt. 2. 4, 5.
[h] 1 Tim. 2. 1, 2.
[i] 1 Pet. 2. 17.
[k] Rom. 13. 6, 7.
[l] Rom. 13. 5. Tit. 3. 1.
[m] 1 Pet. 2. 13, 14, 16.
[n] Rom. 13. 1. 1 Reg. 2. 35. Act. 25. 9, 10, 11. 2 Pet. 2. 1, 10, 11. Judæ v. 8, 9, 10, 11.
[o] 2 Theſ. 2. 4. Apoc. 13. 15, 16, 17.

Cap. XXIV.

De Conjugio & Divortio.

§ 1 Conjugium inter unum virum ac fæminam unam contrahi debet; neque viro ulli uxores plures, nec ulli fæminæ ultra unum maritum eodem tempore habere licet [a].

[a] *Gen.* 2. 24. *Mat.* 19.5,6. *Prov.*2.17.

§ 2. Conjugium erat inſtitutum, cùm propter mariti uxoríſque auxilium mutuum [b], tum propter humani generis prole legitimâ, Eccleſiæque ſancto ſemine incrementum [c], tum verò etiam ad impudicitiam declinandam [d].

[b] *Gen.* 2.18.

[c] *Mal.* 2.15.

[d] 1 *Cor.* 7.2,9.

§ 3. Matrimonio jungi cuivis hominum generi licitum eſt, qui conſenſum ſuum præbere valent cum judicio [e]; Veruntamen ſolùm in Domino connubia inire debent Chriſtiani [f]; proindéque quotquot religionem veram reformatàmque profitentur, non debent Infidelibus, Papiſtis, aut aliis quibuſcunque idololatris connubio ſociari; neque ſanè debent qui pii ſunt impari jugo copulari, conjugium

[e] *Heb.* 13. 4. 1 *Tim.* 4.3. 1 *Cor.* 7. 36, 37, 38. *Gen.*24.57,58.

[f] 1 *Cor.* 7.39.

cum

[g] *Gen.* 34. 14. *Exod.* 34. 16. *Deut.* 7. 3, 4. 1 *Reg.* 11. 4. *Nehem.* 13. 25, 26, 27. *Mal.* 2. 11, 12. 2 *Cor.* 6. 14.

cum illis contrahendo qui aut improbitate vitæ ſunt notabiles, aut damnabiles tuentur hæreſes [g].

[h] *Levit.* 18. cap. 1 *Cor.* 5. 1. *Amo.* 2. 7.

§ 4. Connubia intra conſanguinitatis affinitatíſq; gradus in verbo Dei vetitos iniri non eſt licitum [h]; neque poſſunt ejuſmodi inceſta conjugia quâvis aut humanâ lege, aut conſenſione partium fieri legitima, adeo ut perſonis illis ad inſtar mariti & uxoris liceat unquam cohabitare [i]. Non licet viro è cognatione uxoris ſuæ ducere, quam ſi æquè ſeipſum attingeret ſanguine, ducere non liceret; ſicuti nec fœminæ licet viro nubere á mariti ſui ſanguine minùs, quàm à ſuo liceret, alieno [k].

[i] *Marc.* 6. 18. *Levit.* 18. 24, 25, 26, 27, 28.

[k] *Levit.* 20. 19, 20, 21.

§ 5. Adulterium aut ſcortatio ſi admittatur poſt ſponſalia, ac ante conjugium detegatur, perſonæ innocenti juſtam præbet occaſionem contractum illum diſſolvendi [l]; quòd ſi adulterium poſt conjugium admittatur. licebit parti innocenti divortium lege poſtulare ac obtinere [m]; atque quidem poſt factum divortium conjugio alteri ſociari, perinde acſi mortua eſſet perſona illa quæ conjugii fidem violabat [n].

[l] *Mat.* 1. 18, 19, 20.

[m] *Mat.* 5. 31, 32.

[n] *Mat.* 19. 9. *Rom.* 7. 2, 3.

§ 6. Quam-

§ 6. Quamvìs ea ſit hominis corruptio ut proclivis ſit ad excogitandum argumenta, indebitè illos quos Deus connubio junxit diſſociandi; nihilominus tamen extra adulterium ac deſertionem ità obſtinatam, ut cui nullo remedio, nec ab Eccleſia nec à Magiſtratu civili ſubveniri poſſit, ſufficiens cauſa nulla eſſe poteſt conjugii vinculum diſſolvendi [o]. Atque hac quidem in re procedendi ordo publicus & regularis eſt obſervandus, nec perſonæ illæ, quarum jus agitur, ſunt ſuo arbitrio judicióve in cauſa propria permittendæ [p].

[o] *Mat.* 19.8,9. 1 *Cor.* 7.15. *Mat.* 19.6.

[p] *Deut.* 24. 1,2, 3,4.

Cap. XXV.

De *Eccleſia.*

§ 1. CAtholica ſive Univerſalis Eccleſia ea quæ eſt inviſibilis conſtat è toto electorum numero, quotquot fuerunt, ſunt, aut erunt unquam in unum collecti, ſub Chriſto ejuſdem Capite; éſtque ſponſa, cor-

pus, ac plenitudo ejus qui implet omnia in omnibus [a].

a Eph.1.10,22. 23. Eph.5.23,27, 32 Col.1.18,

§ 2. Eccleſia viſibilis, (quæ etiam ſub Evangelio, Catholica eſt & univerſalis, non autem unius gentis finibus, ut pridem ſub lege, circumſcripta) ex iis omnibus conſtat, undecunque terrarum ſint, qui veram religionem profitentur [b], unà cum eorundem liberis [c]; éſtque Regnum Domini Jeſu Chriſti [d], Domus & familia Dei [e], extra quam quidem ordinariè fieri nequit ut quivis ſalutem conſequatur [f].

b 1 Cor.1.2. 1 Cor.12.12,13 Pſal.2.8. Apoc.7.9. Rom.15.9,10, 11,12. c 1 Cor.7.14. Act.2.39. Ezech.16.20,21 Rom.11.16. Gen.3.15. Gen.17.7. d Mat.13.47. Iſa.9.7. e Eph.2.19. Eph.3.15. f Act.2.47.

§ 3 Catholicæ huic Eccleſiæ viſibili dedit Chriſtus miniſtrorum ordinem, oracula, ac inſtituta Dei ad ſanctos uſque ad finem mundi in hac vita colligendos ſimul & perficiendos; in quem finem præſentiâ ſuâ, ſpiritúq; ſecundùm ipſius promiſſionem, eadem reddit efficacia [g].

g 1 Cor.12.28. Eph.4.11,12, 13. Mat.28.19,20 Iſa.59.21.

§ 4. Eccleſia hæc Catholica extitit quandoque magìs quandoque minùs viſibilis [h]. Eccleſiæ autem particulares (quæ ſunt illius membra) eo magìs minúsve puræ ſunt, quo majori

h Rom.11.3,4. Apoc.12.6.14.

majori aut minori cum puritate in iis docetur excipitúrq; Evangelii doctrina, adminiſtrantur divina inſtituta, cultúsque publicus celebratur [i].

[i] *Apoc.*2,3.cap. 1 *Cor.*5.6,7.

§ 5. Puriſſimæ omnium quæ in terris ſunt Eccleſiæ, cùm mixturæ tum etiam errori ſunt obnoxiæ [k], eoúſque autem nonnullæ degenerârunt, ut ex Eccleſiis Chriſti factæ demum ſint ipſius Satanæ Synagogæ [l]; nihilominus tamen nunquam deerit in terris Eccleſia, quæ Deum colat ſecundùm ipſius voluntatem [m].

[k] 1 *Cor.*13.12. *Apoc.*2,3,cap. *Mat.*13.24,25, 26,27,28,29, 30,47.

[l] *Apoc.*18.2. *Rom.*11.18,19. 20,21,22.

[m] *Mat.*16.18. *Pſal.*72.17. *Pſal.*102.28. *Mat.*28.19,20.

§ 6. Eccleſiæ caput extra unum Dominum Jeſum Chriſtum nullum eſt [n]; nec ullo ſenſu caput ejus eſſe poteſt Papa Romanus, qui eſt inſignis ille Antichriſtus, homo ille peccati & perditionis filius; in Eccleſia ſemet efferens adverſùs Chriſtum, & ſupra quicquid dicitur Deus [o].

[n] *Col.*1.18. *Eph.*1.22.

[o] *Mat.*23. 8,9, 10. 2 *Theſſ.*2.3,4, 8, 9. *Apoc.*13.6.

Cap. XXVI.

De Communione Sanctorum.

§ 1. SAncti omnes, qui capiti ſuo Jeſu Chriſto per Spiritum ejus ac per fidem uniuntur, gratiarum ejus, perpeſſionum, mortis, reſurrectionis ac gloriæ ejus habent communionem [a]; atque indè etiam amore conjuncti ſibimet invicem mutuam donorum ſuorum gratiarúmque ſocietatem quandam ineunt [b], ac ad ejuſmodi officia præſtanda publica & privata obligantur, quæ ad mutuum eorum bonum conducant, cùm quoad internum tum etiam quoad externum hominem [c].

[a] 1 *Joh.*1.3. *Eph.*3.16,17, 18,19. *Joh.*1.16. *Eph.*2.5,6. *Phil.*3.10. *Rom.*6.5,6. 2 *Tim.*2.12.
[b] *Eph.*4.15,16. 1 *Cor.*12.7. 1 Cor.3.21, 22, 23. Col.2.19.
[c] 1 *Theſſ.*5.11. 14. *Rom.*1.11,12, 14. 1 *Joh.*3.16,17, 18. *Gal.*6.10.

§ 2. Qui ſanctos ſeſe profitentur, ſanctam illi ſocietatem & communionem inire tenentur & conſervare, cùm in divino cultu, tum alia officia ſpiritualia præſtando, quæ ad mutuam eorum ædificationem conferre poſſint [d]; Quin etiam porrò ſublevando ſe mutuò in rebus externis[e], pro ratione cujuſque vel facultatum vel indigentiæ.

[d] *Heb.*10.24, 25. *Act.*2.42,46. [illegible] 3. 1 C[illegible]0.

Quæ

Quæ quidem communio, prout opportunitatem Deus obtulerit, eſt ad eos omnes, qui ubivis locorum Domini Jeſu nomen invocant, extendenda [e].

[e] *Act.* 2. 44, 45. 1 *Joh.* 3. 17. 2 *Cor.* 8, 9, cap. *Act.* 11, 29, 30.

§ 3. Hæc autem communio quâ ſancti cum Chriſto potiuntur, eos ſubſtantiæ Deitatis ejus neutiquam reddit participes, nec ullo reſpectu æquales Chriſto; Quorum utrumvis affirmare impium eſt ac blaſphemum [f]; neque ſanè communio illa, quæ iis ſecum mutuò quatenus ſanctis intercedit; cujuſquam ad bona & poſſeſſiones ſuas jus privatum vel tollit vel imminuit [g].

[f] *Col.* 1. 18, 19. 1 *Cor.* 8. 6. *Iſa.* 42. 8. 1 *Tim.* 6. 15, 16 *Pſal.* 45. 7. cum *Heb.* 1. 8, 9.

[g] *Exod.* 20. 15. *Eph.* 4. 28. *Act.* 5. 4.

Cap. XXVII.

De Sacramentis.

§ 1. Sacramenta ſunt fœderis gratiæ ſigna ſacra & ſigilla [a], immediatè à Deo inſtituta [b], ad Chriſtum ejúſque beneficia repræſentandum, ad jus noſtrum in illo confirmandum [c], prout etiam ad illos qui

[a] *Rom.* 4. 11. *Gen.* 17. 7, 10.

[b] *Mat.* 28. 19. 1 *Cor.* 11. 23.

[c] 1 *Cor* 10. 16. 1 *Cor.* 11. 25, 26. *Gal.* 3. 27.

Eccleſiam ſpectant à reliquis illis qui ſunt è mundo, viſibili diſcrimine ſeparandum [d], útque ii ſolenniter devinciantur ad obedientiam & cultum Deo in Chriſto juxta verbum ejus exhibendum [e].

[d] *Rom.* 15. 8. *Exod.* 12. 48. *Gen.* 34. 14.
[e] *Rom.* 6. 3, 4. 1 *Cor.* 10. 16, 21

§ 2. In Sacramento quolibet eſt inter ſignum & rem ſignificatam relatio quædam ſpiritualis, ſive Sacramentalis unio; unde fit ut alterius nomina & effectus alteri quandoque tribuantur [f].

[f] *Gen.* 17. 10. *Mat.* 26, 27, 28. *Tit.* 3. 5.

§ 3. Quæ in Sacramentis ſive per ea ritè adhibita exhibetur gratia, per vim aliquam iis intrinſecam non confertur, neque ex intentione vel pietate adminiſtrantis pendet Sacramenti vis ac efficacia [g]; verùm ex operatione Spiritûs [h], ac verbo inſtitutionis, quod complectitur cùm præceptum, unde celebrandi Sacramenti poteſtas ſit, tum etiam promiſſionem de beneficiis dignè percipientibus exhibendis [i];

[g] *Rom.* 2. 28, 29. [1] *Pet.* 3. 21.
[h] *Mat.* 3, 11. [1] *Cor.* 12. 13.
[i] *Mat.* 26. 27, 28. *Mat.* 28. 19, 20.

§ 4. Sacramenta duo tantùm ſunt à Chriſto Domino noſtro in Evangelio inſtituta, Baptiſmus ſcilicet, &

cœna

cœna Domini; quorum neutrum debet niſi à miniſtro verbi legitimè ordinato diſpenſari [k]. [k] Mat. 28.19. 1 Cor. 11. 20,23. 1 Cor. 4. 1. Heb. 5. 4.

§ 5. Sacramenta Veteris Teſtamenti ſi res ſpirituales per ea ſignificatas exhibitáſque reſpiciamus, quoad ſubſtantiam eadem fuere cum his ſub Novo [l]. [l] 1 Cor. 10, 1, 2, 3, 4.

Cap. XXVIII.

De Baptiſmo.

§ 1. Baptiſmus eſt Sacramentum Novi Teſtamenti, à Jeſu Chriſto inſtitutum [a], non ſolùm propter ſolennem perſonæ baptizatæ in Eccleſiam viſibilem admiſſionem [b], verùm etiam ut ſignum eidem ſit, & ſigillum cùm fæderis gratiæ [c], tum ſuæ in Chriſtum inſitionis [d], regenerationis [e], remiſſionis peccatorum [f], ac ſui ipſius Deo per Chriſtum dedicationis, ad ambulandum in vitæ novitate [g]. Quod quidem Sacramentum è Chriſti ipſius mandato eſt in Eccleſia ejus ad finem uſq; mundi retinendum [h].

[a] Mat. 28. 19.
[b] 1 Cor. 12. 13.
[c] Rom. 4. 11. cum Col. 2. 11, 12.
[d] Gal. 3. 27. Rom. 6. 5.
[e] Tit. 3. 5.
[f] Marc. 1. 4.
[g] Rom. 6. 3, 4.
[h] Mat. 28. 19, 20.

§ 2. Elementum externum in hoc Sacramento adhibendum eſt, Aqua; quâ baptizari debet admittendus, à miniſtro Evangelii legitimè ad hoc vocato, in nomine Patris & filii & Spiritûs Sancti [i].

[i] *Matt.* 3. 11. *Joh.* 1. 33. *Matt.* 28. 19, 20

§ 3. Baptizandi in aquam immerſio neceſſaria non eſt; verùm baptiſmus ritè adminiſtratur aquâ ſuperfusâ vel etiam inſpersâ baptizando [k].

[k] *Heb.* 9. 10, 19, 20, 21, 22. *Act.* 2. 41. *Act.* 16. 33. *Mar.* 7. 4.

§ 4. Non illi ſolùm qui fidem in Chriſtum eíque ſe obedientes fore actu quidem profitentur [l], verùm etiam infantes qui à Parente vel altero vel utroque fideli procreantur, ſunt baptizandi [m].

[l] *Mar.* 16. 15, 16. *Act.* 8. 37, 38.

[m] *Gen.* 17. 7, 9. cum *Gal.* 3. 9, 14. & *Col.* 2. 11, 12. & *Act.* 2. 38, 39. & *Rom.* 4. 11, 12. 1 *Cor.* 7. 14. *Mat.* 28. 19. *Marc.* 10. 13, 14, 15, 16. *Luc.* 18. 15.

§ 5. Quamvis grave peccatum ſit inſtitutum hoc deſpicatui habere vel negligere [n]; non tamen ei ſalus & gratia ita individuè annectuntur, ut abſq; illo nemo unquam regenerari aut ſalvari poſſit [o], aut quaſi indubium omninò ſit regenerari omnes qui baptizantur [p].

[n] *Luc.* 7. 30. cum *Exod.* 4. 24, 25, 26.

[o] *Rom.* 4. 11. *Act.* 10. 2, 4, 22, 31, 45, 47.

[p] *Act.* 8. 13, 23.

§ 6. Baptiſmi efficacia ei temporis momento quo adminiſtatur non aſtringitur [q]. Nihilominus tamen, uſu debito

[q] *Joh.* 3. 5, 8.

debito hujus inſtituti non offertur ſolùm promiſſa gratia, verùm etiam omnibus (tam infantibus quàm adultis) ad quos gratia illa è conſilio Divinæ voluntatis pertinet, per Spiritum Sanctum in tempore ſuo conſtituto realiter confertur & exhibetur [r].

§ 7. Sacramentum Baptiſmi eidem perſonæ non eſt niſi ſemel adminiſtrandum [ſ].

[r] *Gal.* 3. 27. *Tit.* 3. 5. *Eph.* 5. 25, 26. *Act.* 2. 38, 41.

[ſ] *Tit.* 3. 5.

Cap. XXIX.

De Cœna Domini.

§ 1. Dominus noſter Jeſus eâdem quâ prodebatur nocte inſtituit corporis & ſanguinis ſui ſacramentum, *Cœnam Domini* quam dicimus, in Eccleſia ſua ad finem uſque mundi celebrandum, in perpetuam memoriam ſacrificii ſui ipſius in morte ſuâ oblati, & ad beneficia iſtius omnia verè fidelibus obſignandum; in eorum item alimentum ac incrementum in Chriſto ſpirituale; quóque ad officia cuncta præſtanda, prius quidem

quidem illi debita, arctiori adhuc nodo tenerentur; ut vinculum denique ac pignus foret communionis illius quæ iis cum Chriſto & ſecum ipſis mutuò, tanquam corporis ipſius myſtici membris, intercedit [a].

a 1 Cor. 11. 23, 24. 25, 26. 1 Cor 10. 16, 17, 21. 1 Cor. 12. 13.

§ 2. In hoc Sacramento non Patri ſuo offertur Chriſtus, ſed neque inibi fit reale aliquod ſacrificium ad peccatorum remiſſionem vivis aut mortuis procurandam [b]; verùm unicæ iſtius oblationis, quâ Chriſtus ſemet ipſum ipſe in cruce, & quidem omnino ſemel obtulit, commemoratio ſolùm; unà cum ſpirituali propterea laudis omnimodæ Deo redditæ oblatione [c]. Unde Pontificiorum iſtud ſacrificium Miſſæ (utì loqui amant) planè deteſtandum ſit oportet, utpote maximè injuriam uni illi unicóque Chriſti ſacrificio, quod quidem unica eſt pro peccatis electorum univerſis propitiatio [d].

b Heb. 9. 22, 25 26, 28.

c 1 Cor. 11. 24, 25, 26. Mat. 26. 26, 27

d Heb. 7. 23, 24, 27. Heb. 10. 11, 12, 14, 18.

§ 3. In hoc ſuo inſtituto præcepit Dominus Jeſus Miniſtris ſuis, verbum inſtitutionis populo declarare, orare, ac elementis pani ſcilicet ac vi-

no benedicere, eáque hac ratione à communi ad ſacrum uſum ſeparare, quinetiam panem accipere & frangere; poculum item in manus accipere; atque (communicantibus unà ipſis) utrumque communicantibus exhibere[e], nemini autem à congregatione tunc abſenti[f].

§ 4. Miſſæ privatæ, ſive perceptio hujuſce Sacramenti à ſolo vel Sacerdote vel alio quovis[g]; prout etiam poculi à populo detenſio[h], elementorum adoratio, quóque adorentur elevatio aut circumgeſtatio, ut & prætextu religioſi uſûs cujuſcunque aſſervatio, ſunt quidem omnia tum hujuſce Sacramenti naturæ tum Chriſti inſtitutioni planè contraria[i].

§ 5. In hoc Sacramento externa elementa ad uſus à Chriſto inſtitutos ritè ſeparata, ità ad eum crucifixum referuntur ut rerum quas repræſentat nominibus (corporis nempe ac ſanguinis Chriſti) verè quidem, at Sacramentaliter tantùm, ſint nuncupata[k], manent ſiquidem adhuc quoad ſubſtantiam & naturam verè ſolùmque panis

[e] *Mat.* 26.26, 27, 28. & *Marc.* 14.22, 23, 24. & *Luc.* 22. 19, 20. cum 1 *Cor.* 11.23, 24, 25, 26.

[f] *Act.* 20.7. 1 *Cor.* 11.20.

[g] 1 *Cor.* 10. 6.

[h] *Marc.* 14.23. 1 *Cor.* 11. 25, 26, 27, 28, 29.

[i] *Mat.* 15. 9.

[k] *Mat.* 26.26, 27.28.

l 1 *Cor.* 11.26, 27, 28. *Matt.* 26.29.

panis ac vinum nihilo minùs quàm antea fuerant [l].

§ 6. Doctrina illa quæ ſubſtantiæ panis ac vini in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti converſionem (tranſubſtantiatio vulgo dicitur) ſive illam per Sacerdotis conſecrationem, ſive quomodocunque demum fieri ſtatuit, non ſcripturæ ſolùm, verùm etiam communi omnium ſenſui ac rationi adverſatur, ſacramenti naturam evertit, ſuperſtitionis multifariæ cauſa extitit atque etiamnum exiſtit, imò verò & craſſiſſimæ idololatriæ [m].

m *Act.* 3, 21. cum 1 *Cor.* 11. 24, 25, 26. *Luc.* 24. 6, 39.

§ 7. Dignè communicantes, Elementa in hoc ſacramento viſibilia dum participant [n], unà cum iis internè Chriſtum crucifixum & beneficia mortis ejus univerſa reverâ & realiter, (modo, non carnali quidem aut corporeo, ſed ſpirituali) per fidem recipiunt eíſque veſcuntur. Corpus ſiquidem & ſanguis Chriſti non corporeo aut carnali modo in, cum, vel ſub pane ac vino; realiter tamen, ac ſpiritualiter credentium fidei in hoc inſtituto, non minùs quàm externis ſenſibus

n 1 *Cor.* 11.28

elementa

elementa ipſa, ſunt præſentia [o]. [o] 1 *Cor.*10.16.

§ 8. Homines improbi & ignari externa licèt in hoc ſacramento percipere poſſint elementa, rem tamen per ea ſignificatam non recipiunt; verùm indignè illuc accedendo, rei fiunt corporis ac ſanguinis Dominici ad ſui ipſorum condemnationem. Quapropter homines impii & ignari prout communioni cum Deo potiundæ nullatenus ſunt idonei, ità prorſus indigni ſunt qui accedant ad menſam Domini; neque ſine gravi in Chriſtum peccato, poſſunt (quamdiu tales eſſe non deſtiterint) Sacra hæc myſteria participare [p]; vel ad ea participandum admitti [q].

[p] 1 *Cor.*11.27, 28,29. 2 *Cor.*6.14,15, 16. [q] 1 *Cor.*5.6,7, 13. 2 *Theſ.*3.6,14, 15. *Mat.*7.6.

Cap. XXX.

De Cenſuris Eccleſiaſticis.

§ 1. Dominus Jeſus quatenus Rex & caput Eccleſiæ ſuæ conſtituit in ea regimen, quod in officiariorum Eccleſiaſticorum manu foret, diſtinctum à civili Magiſtratu [a].

[a] *Iſa.*9.6,7. 1 *Tim.*5.17. 1 *Theſſ.*5.12. *Act.*20.17,18. *Heb.*13.7,17, 24. 1 *Cor.*12.28. *Mat.*28.18,19, 20.

§ 2. Offi-

§ 2. Officiariis hiſce claves regni cœlorum ſunt commiſſæ, quarum virtute obtinent poteſtatem peccata vel retinendi vel remittendi pro varia peccantium conditione; impœnitentibus quidem regnum illud tam per verbum quàm per cenſuras occludendi, peccatoribus verò pœnitentibus tam evangelii miniſterio quàm abſolutione à cenſuris idem aperiendi, prout occaſio poſtulaverit [b].

[b] *Mat.* 16.19. *Mat.* 18.17,18 *Joh.* 20.21,22, 23 2 *Cor.* 2.6,7,8.

§ 3. Omnino neceſſariæ ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ, lucrandis fratribus delinquentibus eíſque in viam reducendis, reliquis autem à ſimilibus delictis deterrendis, fermento illi malo, nè totam maſſam inficiat, expurgando; ad honorem Chriſti & Sanctam Evangelii profeſſionem vindicandum, ut prævertatur denique ira Dei, quæ meritò in Eccleſiam accendi poſſet, ſi ipſius fœdus, hujúſque ſigilla ab inſigniter ac pertinaciter delinquentibus impunè profanari pateretur [c].

[c] 1 *Cor.* 5.cap. 1 *Tim.* 5.20. *Mat.* 7.6. 1 *Tim.* 1.20. 1 *Cor.* 11.27, ad finem, cum *Judæ* v. 23.

§ 4. Quò meliùs autem hoſce fines conſequantur, procedere debent Eccleſiæ officiarii, admonendo, à Sa-

cra-

cramento cœnæ Dominicæ ad tempus aliquod ſuſpendendo, excommunicando denique ab Eccleſia, pro ratione criminis, atque perſonæ delinquentis merito [d]. [d] 1 *Theſſ.* 5. 12. 2 *Theſſ.* 3. 6, 14, 15. 1 *Cor.* 5. 4, 5, 13. *Mat.* 18. 17. *Tit.* 3. 10.

Cap. XXXI.

De Synodis & Conciliis.

§ 1. QUò meliùs gubernari, ac ulteriùs ædificari poſſit Eccleſia, conventus ejuſmòdi fieri debent, quales vulgò Synodi & Concilia nuncupantur [a]. a *Act.* 15. 2, 4, 6

§ 2. Quemadmodum licitum eſt Magiſtratibus Synodum Miniſtrorum aliorúmque qui ſunt idonei convocare, quibuſcum de religionis rebus deliberent ac conſultent [b]: Ità ſi Magiſtratus fuerint Eccleſiæ hoſtes aperti, licebit Chriſti miniſtris à ſeipſis virtute officii, eìsve cum aliis idoneis, acceptâ priùs ab Eccleſiis ſuis delegatione, in iſtiuſmodi conventibus congregari [c]. b *Iſa.* 49. 23. 1 *Tim.* 2. 1, 2. 2 *Chron.* 19. 8, 9, 10, 11. 2 *Chron.* 29, 30. capp. *Mal.* 2. 4, 5. *Prov.* 11. 14. c *Act.* 15. 2, 4, 22, 23, 25.

§ 3. Synodorum & Conciliorum

eſt controverſias fidei & conſcientiæ caſus, miniſterialiter quidem, determinare; regulas ac præſcripta quo meliùs publicus Dei cultus ejúsque Eccleſiæ regimen ordinentur conſtituere; Querelas de mala adminiſtratione delatas admittere, déque iis authoritativè decernere. Quæ quidem decreta & deciſiones, modò verbo Dei conſenſerint, cum reverentia ſunt ac ſummiſſione excipienda; Non quidem ſolùm quòd verbo Dei ſint conſentanea, verùm etiam gratiâ poteſtatis ea conſtituentis, ut quæ ſit ordinatio Dei ad id in verbo ſuo deſignata [d].

[d] *Act.* 15. 15, 19, 24, 27, 28, 29, 30, 31. *Act.* 16. 4. *Mat.* 18. 17, 18, 19, 20.

§ 4. Synodi omnes ſive concilia poſt Apoſtolorum tempora, ſeu generales ſive particulares, errori ſunt obnoxiæ, quin neq; paucæ erraverunt. Proindéque fidei aut praxeos norma conſtituendæ non ſunt, verùm in utriſque auxilii loco adhibendæ [d].

[e] *Eph.* 2. 20. *Act.* 17. 11. 1 *Cor.* 2. 5. 2 *Cor.* 1. 24.

§ 5. Synodi & Concilia id ſolùm quod Eccleſiam ſpectat tractare debent & concludere; neque civilibus negotiis, quæ rem publicam ſpectant

in

ingerere ſe debent, niſi humiliter ſupplicando in caſibus, ſi qui acciderint, extraordinariis; aut conſulendo, quoties id ab eis poſtulat Magiſtratus civilis, nempe quò conſcientiæ illius ſatisfiat [f].

[f] *Luc.* 12. 13, 14. *Joh.* 18. 36.

Cap. XXXII.

De ſtatu hominum poſt mortem, déque reſurrectione mortuorum.

§ 1. HOminum corpora poſt mortem ad pulverem rediguntur, & corruptionem vident [a]; At animæ illorum (quæ quidem nec moriuntur nec obdormiunt) ut quæ ſubſiſtentiam habent immortalem, ad Deum continuò earum datorem revertuntur [b]. Animæ quidem Juſtorum jam tum perfectè ſanctificatæ, cœlis ſupremis accipiuntur, ubi Dei faciem in lumine ac gloria intuentur, corporum ſuorum plenam redemtionem expectantes [c]: Animæ verò improborum conjiciuntur in Gehennam,

[a] *Gen.* 3. 19. *Act.* 13. 36.

[b] *Luc.* 23. 43. *Eccleſ.* 12. 7.

[c] *Heb.* 12. 23. 2 *Cor.* 5. 1, 6, 8. *Phil.* 1. 23. cum *Act.* 3. 21. & *Eph.* 4. 10.

ubi inter diros cruciatus in tenebris exterioribus concluſæ manent, ad judicium magni illius diei aſſervatæ [d]. Locum autem animabus à corpore ſolutis extra hoſce duos Scriptura Sacra non agnoſcit ullum.

[d] *Luc.* 16. 23, 24. *Act.* 1. 25. *Judæ* v. 6, 7. 1 *Pet.* 3. 19.

§ 2. Noviſſimo illo die, qui comperientur in vivis non morientur quidem ſed mutabuntur [e]; qui mortui fuerint reſuſcitabuntur omnes, ipſiſſimis iis corporibus quibus viventes aliquando fungebantur, ac non aliis, utut qualitate differentibus; quæ denuò animabus quæq; ſuis æterno conjugio unientur [f].

[e] 1 *Theſ.* 4. 17. 1 *Cor.* 15. 51, 52.

[f] *Iob.* 19. 26, 27. 1 *Cor.* 15. 42, 43, 44.

§ 3. Injuſtorum corpora ad dedecus per potentiam Chriſti ſuſcitabuntur; juſtorum autem corpora per ſpiritum ejus ad honorem, fiéntque hæc conformia corpori ipſius glorioſo [g].

[g] *Act.* 24. 15. *Job.* 5. 28, 29. 1 *Cor.* 15. 43. *Phil.* 3. 21.

Cap. XXXIII.
De ultimo judicio.

§ 1, DIem Deus deſignavit quo mundum in juſtitia judicabis

bit per Jeſum Chriſtum [a]; cui à Patre data eſt omnis poteſtas & judicium [b]. Quo quidem die non ſolùm judicabuntur Angeli apoſtatici [c], verùm etiam omnes homines, quotquot uſpiam in orbe terrarum aliquando vixerint, coram Chriſti tribunali comparebunt, ut cogitationum, dictorum, factorúmque ſuorum rationem reddant, recipiántque ſimul juxta id quod in corpore quiſque fecerit, ſeu bonum fuerit ſive malum [d].

§ 2. Eo autem conſilio Diem hunc præſtituit Deus, quò nempe miſericordiæ ſuæ conſtaret gloria ex æterna ſalute electorum, juſtitiæ autem è damnatione reproborum, qui improbi ſunt & contumaces. Tunc enim juſti introibunt in vitam æternam, recipiéntq; plenitudinem illam gaudii ac refrigerii, quæ à præſentia Domini ventura ſunt: Impii autem, qui Deum ignorant, quique Evangelio Jeſu Chriſti non morem gerunt, in æternos cruciatus detrudentur, æternáq; perditione punientur à præſentia Domini & à potentiæ ipſius gloria profligati [e].

a *Act.* 17.31.
b *Joh.* 5.22,27.
c 1 *Cor.* 6.3. *Judæ* v. 6. 2 *Pet.* 2.4.
d 2 *Cor.* 5.10. *Eccleſ.* 12.14. *Rom.* 2.16. *Rom.* 14.10,12. *Mat.* 12.36,37.
e *Mat.* 25.31. ad finem. *Rom.* 2.5,6. *Rom.* 9.22,23. *Mat.* 25.21. *Act.* 3.19. 2 *Theſ.* 1.7,8,9,10.

 § 3. Quem-

§ 3. Quemadmodum Chriſtus nobis, futurum eſſe aliquando diem judicii, eſſe velit perſuaſiſſimum; tum quò omnes à peccato abſterreantur, tum ob majus piorum ſolatium in rebus adverſis [f]: ità ſanè diem ipſum vult ab hominibus ignorari, quò ſecuritatem omnem carnalem excutiant, & nunquam non ſint vigilantes (quum quâ horâ venturus ſit Dominus ignorant) utque ſemper ſint parati ad dicendum Veni Domine Jeſu, etiam citò veni [g]. *Amen.*

[f] 2 *Pet.* 3. 11, 14. 2 *Cor.* 5. 10, 11. 2 *Theſ.* 1. 5, 6, 7. *Luc.* 21. 27, 28. *Rom.* 8. 23, 24, 25.

[g] *Mat.* 24. 36, 42, 43, 44. *Marc.* 13. 35, 36, 37. *Luc.* 12. 35, 36. *Apoc.* 22. 20.

Cate-

Catechiſmus major.

QUÆSTIO.

QVinam eſt hominis finis ſummus ac præcipuus?

R. Finis hominis ſummus ac præcipuus eſt Deum glorificare [a], eodémque perfectè frui, in æternum [b].

Q. Unde conſtat eſſe Deum?

R. Ipſiſſimum in homine naturæ lumen, operáque Dei eſſe Deum luculenter manifeſtant [c]: ſolum autem ipſius verbum Spiritúsque eum hominibus revelant ſufficienter ac efficaciter ad ſalutem [d].

Q. Quid eſt verbum Dei?

R. Scripturæ Sacræ Veteris ac Novi Teſtamenti ſunt verbum Dei [e], unica illa fidei ac obedientiæ regula [f].

Q. Quibus modis mediíſque conſtat Scripturas eſſe verbum Dei?

R. Scripturæ ſe oſtendunt eſſe verbum

[a] *Rom.* 11.36. 1 *Cor.* 10.31.
[b] *Pſal.* 73.24. ad finem. *Joh.* 17. 21,22, 23.
[c] *Rom.* 1.19,20, *Pſal.* 19. 1,2,3. *Act.* 17.28.
[d] 1 *Cor.* 2.9,10. 2 *Tim.* 3.15, 16,17. *Iſa.* 59.21
[e] 2 *Tim.* 3.16. 2 Pet. 1.19,20, 21.
[f] *Eph.* 2.20. *Apoc.* 22.18,19. *Iſa.* 8.20. *Luc.* 16.29,31. *Gal.* 1.8,9. 2 *Tim.* 3.15,16 17.

bum Dei, majeſtate ſuâ [g] & puritate [h], partium omnium conſenſu [i], totiúsque ſcopo, ut Deo nempe omnis gloria tribuatur [k]; lumine ſuo & vi mirabili cùm convincendi tum convertendi peccatores, fideles autem conſolandi ac ædificandi ad ſalutem [l]: eas autem eſſe ipſiſſimum Dei verbum, ſolus Dei Spiritus in Scripturis & cum Scripturis teſtimonium præbens in corde hominis plenè illi poteſt perſuadere [m].

Q. *Quid eſt quod præcipuè docent Scripturæ?*

R. Duo imprimis ſunt quæ Scripturæ docent, quid homo de Deo credere debeat, quídq; officii ab homine Deus exigat [n].

Q. *Quid autem de Deo nobis è Scripturis innoteſcit?*

R. Innoteſcunt nobis è Scripturis quid ſit Deus [o], Perſonæ in Deitate [p]; decreta ejus [q], eorúmque executio [r].

Q. *Quid eſt Deus?*

R. Deus eſt ſpiritus [s], in ſeipſo & à ſeipſo eſſentiâ [t], gloriâ, [u], beatitudine [*], ac perfectione [x] infinitus; ad omnia ſuffi-

[g] *Hoſ.*8.12. 1 *Cor.*2.6,7,13 *Pſal.*119.18, 129.
[h] *Pſal.*12.6. *Pſal.*119.140.
[i] *Act.*10.43. *Act.*26.22.
[k] *Rom.*3.19,27.
[l] *Act.*18.28. *Heb.*4.12. *Jac.*1.18. *Pſal.*19.7,8,9. *Rom.*15.4. *Act,*20.32,
[m] *Joh.*16.13,14 1 *Joh.*2.20,27. *Joh.* 20.31.
[n] 2 *Tim.*1.13.
[o] *Heb.*11.6.
[p] 1 *Joh.*5.7.
[q] *Act.*15.14, 15,18.
[r] *Act.*4.27,28.
[s] *Joh.*4.24.
[t] *Exod.*3.14. *Joh.*11.7,8,9.
[u] *Act.*7.2.
[*] 1 *Tim.*6,15.
[x] *Mat.*5.48.

ſufficiens[y], æternus[z], immutabilis[a], incomprehenſibilis[b], ubique præſens[c], omnipotens[d], omniſcius[e], ſapientiſſimus[f], ſanctiſſimus[g], juſtiſſimus[h], ſummè miſericors, ac benignus, ſummè longanimis, abundánsq; bonitate ac veritate[i].

[y] *Gen.* 17, 1.
[z] *Pſal.* 90. 2.
[a] *Mal.* 3. 6. *Jac.* 1. 17.
[b] 1 *Reg.* 8, 27.
[c] *Pſal.* 139. 1. ad 13.
[d] *Apoc.* 4. 8.
[e] *Heb.* 4. 13, *Pſal.* 147. 5.
[f] *Rom.* 16. 27. [g] *Iſa.* 6. 3. *Apoc.* 15. 4. [h] *Deut.* 3. 2. 4. [i] *Exod.* 34. 6.

Q. *An ſunt plures uno Deo?*

R. Unicus eſt (non plures) vivens nempe verúsq; Deus[k].

[k] *Deut.* 6. 1. 1 *Cor.* 8. 4, 6. *Jer.* 10. 10.

Q. *Quot ſunt Perſonæ in Deitate?*

A. Tres in Deitate ſunt perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, ſúntq; hi tres unus verus æternus Deus, iidem ſubſtantiâ, potentiâ & gloriâ coæquales, proprietatibus licèt ſuis perſonalibus inter ſe diſtincti[l].

[l] 1 *Joh.* 5. 7. Mat. 3. 16, 17. Mat. 28. 19. 2 *Cor.* 13. 14. *Joh.* 10. 30.

Q. *Quænam ſunt Trium perſonarum in Deitate proprietates perſonales?*

R. Patri proprium eſt Filium gignere[m], Filio proprium à Patre gigni[n], Spiritui autem ſancto procedere à Patre Filióque, ab omni retrò æternitate[o].

[m] *Heb.* 1. 5, 6, 8.
[n] *Joh.* 1. 14, 18.
[o] *Joh.* 5. 26. *Gal.* 4. 6.

Q. *Unde conſtat Filium & Spiritum Sanctum eſſe Deum, Patríque coæquales?*

[p] *Iſa.* 6.3,5,8. cum *Joh.* 12. 41. & *Act.* 28. 25.
1 *Joh.* 5.20.
Act. 5.3,4.
[q] *Joh.* 1.1.
Iſa. 9.6.
Joh. 2. 24, 25.
2 *Cor.* 13.14.

R. Filium & Spiritum Sanctum eſſe Deum, Patríque coæquales demonſtrant Scripturæ ſacræ, nomina [p], attributa [q], opera [r], cultúmque ejuſmodi eis tribuendo, quæ ſoli Deo propria ſunt & peculiaria [ſ].

1 *Cor.* 2.10.11. [r] *Col.* 1.16. *Gen.* 1. 2. [ſ] *Mat.* 28.19.

Q. *Quid ſunt decreta Dei?*

[t] *Eph.* 1.11.
Rom. 11.33.
Rom. 9.14,15, 18.
[u] *Eph.* 1.4,11.
Rom. 9.22,23.
Pſal. 33.11.

R. Decreta Dei ſunt conſilii voluntatis ejus actus liberi, ſancti, ſapientes [t], quibus ab omni æterno quæcunque tempore eveniunt ad ſuam ipſius gloriam immutabiliter præordinavit [u], imprimis verò quæ Angelos ſpectant hominéſque.

Q. *Quid autem de Angelis hominibúſque præcipuè decrevit Deus?*

R. Deus decreto æterno ac immutabili ex mero amore, in laudem glorioſæ ſuæ gratiæ ſtato tempore manifeſtandæ, nonnullos Angelorum elegit ad gloriam *, uti & hominum aliquos elegit in Chriſto ad vitam æ-

* 1 *Tim.* 5.21.

ternam,

ternam, ſimul & ad media quibus eam conſequantur [x]: idem pro ſuprema ſua poteſtate, ac ſecundùm inſcrutabile voluntatis ſuæ conſilium (quo favorem exhibet abſtinétve pro ſuo ipſius beneplacito) reliquos præteriit, ac ad ignominiam & iram pro peccatis eorum infligendam præordinavit, in laudem gloriæ juſtitiæ ſuæ [y].

[x] *Eph.* 1.4,5,6. 2 *Theſſ.* 2.13, 14.

[y] *Rom.* 9.17,18, 21, 22. *Mat.* 11.25,26. 2 *Tim.* 2.20. *Judæ* v.4. 1 *Pet.* 2.8.

Q. *Quomodo decreta ſua exequitur Deus?*

R. Deus exequitur decreta ſua creationis operibus ac providentiæ; ſecundùm præſcientiam ipſius infallibilem, voluntatíſque ſuæ conſilium liberum ac immutabile [z].

[z] *Eph.* 1.11.

Q. *Quid eſt Creationis opus?*

R. Opus Creationis illud eſt, quo Deus in principio per verbum potentiæ ſuæ, mundum hunc & quæ in eo continentur univerſa ſex dierum ſpatio ex nihilo condidit propter ſemetipſum, atque omnia quidem valdè bona [a].

[a] *Gen.* 1. cap. *Heb.* 11.3. *Prov.* 16.4.

Q. *Quales creavit Deus Angelos?*

R. Angelos [b] omnes Deus creavit ſpiritus [c], immortales [d], ſanctos [e], ſcientiâ

[b] *Col.* 1.6.
[c] *Pſal.* 104.4.
[d] *Mat.* 22.30.
[e] *Mat.* 25.31.

[f] 2 *Sam.*14.17. *Mat.*24.36. [g] 2 *Theſſ.*1.7. [h] *Pſ.*103.20,21 [i] 2 *Pet.*2,4.

entiâ præſtantes [f], potentiâ valentes [g], ad ipſius mandata exequendum, noménque celebrandum [h], non tamen immutabiles [i].

Q. *Qualem creavit Deus hominem?*

[k] *Gen.*1.27. [l] *Gen.*2,7. [m] *Gen.*2.22. [n] *Gen.*2.7. cum *Job.*35.11 & *Eccleſ.*12.7. & *Mat.* 10.28. & *Luc.*23.43. [o] *Gen.*1.27. [p] *Col.*3.10. [q] *Eph* 4.24. [r] *Rom.*2, 14,15 [ſ] *Eccles.*7.29. [t] *Gen.*1.28. [u] *Gen.*3.6. *Eccles.* 7.29.

R. Poſtquam Deus condiderat omnes alias creaturas, hominem creavit, marem quidem fœminámque [k]; viri corpus è terræ pulvere [l], fœminæ autem è coſta viri fabricavit [m]; imbuítq; animabus viventibus, rationalibus, ac immortalibus [n]; ad ſuam ipſius imaginem creavit eos [o], in cognitione [p], juſtitiâ & ſanctitate [q]; habentes divinam legem in cordibus ſuis inſcriptam [r], eandémque implendi vires [ſ], dominium etiam habentesin creaturas [t], poſsibilitatis tamen iſthoc ſtatu excidendi haud immunes [u].

Q. *Quænam ſunt opera Divinæ providentiæ?*

[*] *Pſ.*14. 5,17. [x] *Pſal*104.24. *Iſa.*28.29. [y] *Heb.*1.3. [z] *Pſal.* 103. 19. [a] *Mat.*10.29, 30. 31. *Gen.*45,7. [b] *Rom.*11.36. *Iſa.*63,14.

R. Opera divinæ providentiæ ſunt Dei ſanctiſsima [*], ſapientiſſima [x], ac potentiſsima creaturarum ſuarum omnium conſervatio [y] ac gubernatio [z], earúmq; ut & actionum ab iis profluentium [a] ad ſuam ipſius gloriam ordinatio [b].

Q. *Qualis eſt Dei erga Angelos providentia?*

R. Nonnullis angelorum providentiâ ſuâ permiſit Deus præfracto animo ſemet, ac nunquam indè recuperandos, in peccatum & damnationem præcipitare [c]; hoc tamen reliquáque eorum peccata omnia terminis ſuis circumſcribens dirigénsque ad ſuam ipſius gloriam [d]: reliquos autem in ſanctitate ac beatitudine ſtabilivit [e]: utriſq; verò pro arbitrio ſuo utitur [f] potentiam, miſericordiam, ac juſtitiam ſuam adminiſtrando [g].

[c] *Judæ* v.6. 2 *Pet.* 2. 4. *Heb.* 2 16. *Job.* 9.14.
[d] *Job.* 1.12. *Mat.* 8.31.
[e] 1 *Tim.* 5.21. *Marc.* 8.38. *Heb.* 12.22.
[f] *Pſal.* 104.4.
[g] 2 *Reg.* 19.35. *Heb.* 1.14.

Q. *Qualis erat providentia Dei circa hominem in ſtatu creationis?*

R. Providentia Dei circa hominem in ſtatu creationis hujuſmodi fuit; cum in paradiſo collocavit, eámque illi colendam dedit, illi fructibus terræ veſcendi fecit poteſtatem [h], creaturas omnes illius imperio ac dominio ſubjugavit [i], conjugium inſtituit quod ei foret in ſubſidium [k]; ad communionem ſui ipſius eum admiſit [l], Sabbatum inſtituit [m], fœdus cum eo ſancivit, vitæ quidem, ſub conditione obedien-

[h] *Gen.* 2.8,15, 16.
[i] *Gen.* 1.28.
[k] *Gen.* 2. 8.
[l] *Gen.* 1. 26,27, 28, 29. *Gen.* 3.8.
[m] *Gen.* 2.3.

dientiæ perſonalis, perfectæ ac perpetuæ [n]; cujus arbor vitæ pignus erat [o], eſu arboris ſcientiæ boni malíque ſub pœna mortis eidem interdixit [p].

[n] *Gal.*3.12. *Rom.*10.5.
[o] *Gen.*2.9.
[p] *Gen.*2.17.

Q. *Perſtitítne homo in eo quo Deus illum primitùs creavit ſtatu?*

R. Primi noſtri parentes, libertati voluntatis ſuæ permiſſi, Satanæ tentatione inducti, mandatum Dei tranſgreſſi ſunt è fructu vetito comedendo, eóque facto, ſtatu innocentiæ, in quo creati fuerant, exciderunt [q].

[q] *Gen.*3.6,7, 8, 13. *Eccles.* 7.29. 2 *Cor.*11.3.

Q. *Totúmne genus humanum lapſum eſt in prima illa tranſgreſſione?*

R. Quandoquidem fœdus cum Adamo tanquam perſonâ publicâ, tum ſuo tum poſterorum ſuorum nomine ictum erat, exinde factum eſt ut humanum genus univerſum ab illo generatione ordinariâ procreatum [r] in ipſo peccârit,& unà cum ipſo ceciderit in prima illa tranſgreſſione [ſ].

[r] *Act.*17.26.
[ſ] *Gen.*2.16,17. cum *Rom.* 5. 12, ad 20. & 1 *Cor.*15.21, 22.

Q. *In qualem ſtatum præcipitavit lapſus hic humanum genus?*

R. Lapſus hic humanum genus in ſtatum peccati ac miſeriæ præcipitavit [t].

[t] *Rom.*5.12. *Rom.*3.23.

Q. *Quid*

Q. *Quid eſt peccatum?*

R. Peccatum eſt defectus quilibet conformitatis cum lege Divina, vel tranſgreſſio cujuſvis Divinæ legis, quæ data eſt in regulam creaturæ rationali [u]. [u] 1 Joh. 3. 4. Gal. 3. 10, 12.

Q. *In quo conſiſtit ſtatûs illius, in quem lapſus eſt homo, peccaminoſitas?*

R. Statûs illiûs, in quem lapſus eſt homo, peccaminoſitas conſiſtit in reatu primi peccati quod admiſit Adamus [*], in carentia illius juſtitiæ in qua idem eſt creatus, ut etiam in corruptione naturæ ſuæ, unde inhabilis prorſus, ac impotens factus eſt ad bonum omne ſpirituale; eíque planè oppoſitus, ad malum autem omne proclivis penitus & quidem perpetuo [x]; quod *peccatum originale* vulgò dicitur; indéque proveniunt peccata omnia actualia [y]. [*] Rom. 5. 12, 19. [x] Rom. 3. 10, ad 20. Eph. 2. 1, 2, 3. Rom. 5. 6. Rom. 8. 7, 8. Gen. 6. 5. [y] Jac. 1. 14, 15. Mat. 15. 19.

Q. *Quo modo peccatum hoc originale à primis parentibus ad eorum poſteros derivatur?*

R. Peccatum originale à primis parentibus ad eorum poſteros derivatur per generationem naturalem; adeo ut

omnes in peccato concepti natíque ſint, quotquot ab iis eâ ratione procreantur [z].

z *Pſal.* 51.5. *Job.* 14.4. *Job.* 15.14. *Joh.* 3.6.

Q. *Quam autem miſeriam intulit lapſus humano generi?*

R. Lapſus intulit humano generi non ſolùm communionis cum Deo jacturam [a], verùm etiam iram ejus & maledictionem; adeo ut naturâ ſimus iræ filii [b], Satanæ mancipia [c], & ſuppliciis quibuſcunque meritiſſimè obnoxii, tam in hoc ſeculo quàm futuro [d].

a *Gen.* 3.8, 10, 24.
b *Eph.* 2.2, 3.
c 2 *Tim.* 2.26.
d *Gen.* 2.17. *Lam.* 3.39. *Rom.* 6, 23. *Mat.* 25.41, 46. *Jude* v. 7.

Q. *Quænam ſunt peccati in præſenti ſeculo ſupplicia?*

R. Supplicia peccati in præſenti ſeculo ſunt, cùm interna, animi nempe cæcitas [e], ſenſus reprobus [f], illuſiones fortes [g], durities cordis [h], conſcientiæ horror [i], & affectus viles [k]: tum etiam externa, cujuſmodi ſunt, creaturarum noſtri causâ maledictio Divina [l], omniáque quotquot nobis adveniunt, mala, ſive corporibus, ſive nominibus, fortunis, amicis, aut negotiis demum noſtris adverſentur [m], unà cum ipſa morte [n].

e *Epheſ.* 4.18.
f *Rom.* 1.28.
g 2 *Theſ.* 2. 11.
h *Rom.* 2.5.
i *Iſa.* 33.4. *Gen.* 4.13. *Matt.* 27.4.
k *Rom.* 1.26.
l *Gen.* 3.17.
m *Deut.* 28.15. ad finem.
n *Rom.* 6.21, 23

Q. *Quænam ſunt peccati ſupplicia in futuro ſeculo?*

R. Supplicia peccati in ſeculo futuro ſunt, à jucundiſſima Dei præſentia ſeparatio ſempiterna; continui, æterni & exquiſitiſſimi animæ corporíſq; in igne gehennæ cruciatus [o]. [o] 2 *Theſ.* 1. 9. *Marc.*9.44, 46,4. *Luc.*16.24.

Q. *An humanum genus univerſum perire ſinit Deus in ſtatu peccati ac miſeriæ?*

R. Deus univerſum genus humanum non derelinquit in ſtatu peccati, ac miſeriæ periturum [p], in quem ſcilicet inciderant primum fœdus violando (*fœdus operum* [q] vulgò dictum) verùm præ mero amore ſuo ac miſericordia electos ſuos indè eripit, ac in ſtatum ſalutis eos transfert virtute novi fœderis, quod vulgo dicitur *fœdus gratiæ* [r]. [p] 1 *Theſ.* 5.9. [q] *Gal.* 3.10,12. [r] *Tit.* 3.4,5, 6,7. *Gal.* 3. 21. *Rom.*3.20, 21,22.

Q. *Quocum initum eſt fœdus gratiæ?*

R. Fœdus gratiæ initum eſt cum Chriſto, Adamo ſecundo, atque in eo cum electis omnibus tanquam ipſius ſemine [ſ]. [ſ] *Gal.* 3.16. *Rom.* 5. 15. ad finem. *Iſa.*53.10,11.

Q. *Quomodo in ſecundo fœdere manifeſtatur gratia Dei?*

R. Gratia

R. Gratia Dei in ſecundo fœdere manifeſtatur, in quantum peccatoribus gratuitò parat offértque mediatorem [t] ac per eum vitam & ſalutem [u]; Atque quò in illo jus obtineant fidem requirens conditionem [*], electis omnibus Spiritum ſuum ſanctum promittit ac largitur [x], qui fidem in iis illam [y] ùnà cum gratiis aliis ſalutaribus univerſis [z] operetur, cóſque ſanctæ omni obedientiæ pares reddat ac idoneos [a]; ut quæ ſit genuinæ ipſorum veræque fidei [b], & gratitudinis erga Deum [c] argumentum, viáque illis præſcripta, quâ Deus voluit ad ſalutem perveniri [d].

[t] *Gen.* 3. 15. *Iſa.* 42. 6. *Joh.* 6. 27.
[u] 1 *Joh.* 5. 11, 12.
[*] *Joh.* 3. 16. *Joh.* 1. 12.
[x] *Prov.* 1. 23.
[y] 2 *Cor.* 4. 13.
[z] *Gal.* 5. 22, 23.
[a] *Ezech.* 36. 27.
[b] *Jac.* 2. 18, 22.
[c] 2 *Cor.* 5. 14, 15.
[d] *Eph.* 2. 10.

Q. *Fœdus gratiæ an uno ſemper fuerit eodémque modo adminiſtratum?*

R. Fœdus gratiæ non uno ſemper fuit eodémque modo adminiſtratum, verùm adminiſtratio ejus ſub Veteri Teſtamento ac ſub Novo eſt alia atque alia [e].

[e] 2 *Cor.* 3. 6, 7, 8, 9.

Q. *Quomodo adminiſtratum eſt fœdus gratiæ ſub Veteri Teſtamento?*

R. Sub Veteri Teſtamento fœdus gratiæ eſt adminiſtratum promiſsionibus [f], Prophetiis [g], & Sacrificiis [h], circumciſione [i],

[f] *Rom.* 15. 8.
[g] *Act.* 3. 20, 24.
[h] *Heb.* 10. 1,

cumciſione [i], paſchate [k], aliiſque typis ac inſtitutis; quæ omnia Chriſtum tunc futurum præſignificabant: ac pro ratione illorum temporum ſufficiebant electis in fide in promiſſum Meſſiam ædificandis [l], per quem illi plenam peccati remiſſionem ac ſalutem æternam tunc temporis ſunt conſecuti [m].

[i] Rom. 4. 11.
[k] 1 Cor. 5. 7.
[l] Heb. 8, 9, 10. cap. Heb. 11. 13.
[m] Gal. 3, 7, 8, 9, 14.

Q. *Quomodo adminiſtratur fœdus gratiæ ſub Novo Teſtamento?*

R. Sub Novo Teſtamento exhibito jam Chriſto (qui eſt ſubſtantia) idem illud gratiæ fœdus adminiſtrabatur, & uſque debet adminiſtrari prædicatione verbi [n], ut & adminiſtratione ſacramentorum, Baptiſmi [o] nempe, & cœnæ Dominicæ [p], in quibus gratia ſaluſque cunctis gentibus, pleniùs, evidentiùs, ac efficaciùs exhibetur [q].

[n] Marc. 16. 15.
[o] Matt. 28. 19, 20.
[p] 1 Cor. 11. 23, 24, 25.
[q] 2 Cor. 3, 6. ad finem. Heb. 8. 6, 10, 11. Matt. 28. 19.

Q. *Quis eſt fœderis gratiæ Mediator?*

R. Fœderis gratiæ Mediator unicus eſt Dominus Jeſus Chriſtus [r], qui quum eſſet æternus Dei Filius coëſſentialis Patri & coæqualis [ſ], in plenitudine temporis homo factus eſt [t], adeóq; fuit, & uſque durat, Deus & homo, è

[r] 1 Tim. 2. 5.
[ſ] John 1. 1, 14. Joh. 10. 30. Phil. 2. 6.
[t] Gal. 4. 4.

[u] *Luc.*1.35. *Rom.*9.5. *Col.*2.9. *Heb.*7.14,25.

naturis duabus integris diſtinctíſque, perſona unica in æternum[u].

Q. *Quomodo autem Chriſtus Filius Dei cùm eſſet, factus eſt homo?*

[*] *Joh.*1.14. *Mat.*26.38. [x] *Luc.*1.27,31, 35,42. *Gal.*4.4. [y] *Heb.* 4.15. *Heb.*7.16,

R. Chriſtus Dei Filius factus eſt homo, dum corpus verum, animámq; rationalem aſſumeret ſibi *, vi Spiritûs ſancti in utero, éque ſubſtantia Virginis Mariæ conceptus, & ex eadem natus[x], immunis tamen à peccato[y].

Q. *Quæ neceſſitas id exegit ut Deus eſſet idem qui Mediator?*

[z] *Act.*2. 24,25. *Rom.* 1.4. cum *Rom.*4.25. *Heb.*9.14. [a] *Act.*20.28. *Heb.*9.14. *Heb.*7.25,26, 27,28. [b] *Rom.*3.24, 25,26. [c] *Eph.* 1.6. *Mat.*3.17. [d] *Tit.*2.13,14. [e] *Gal.* 4.6. [f] *Luc.*1. 68,69, 71,74. [g] *Heb.*5.8,9. *Heb.*9.11,ad 16

R. Neceſſum erat ut Deus eſſet qui Mediator, cùm ut humanam naturam ſub ira Dei infinita, ac poteſtate mortis laborantem ſuſtentaret[z], & quodammodo ſuffulciret nè ſuccumberet; tum verò etiam ut perpeſſionibus ſuis, obedientiæ ac interceſſioni pretium faceret ac efficaciam[a]; quò juſtitiæ Dei ſatisfaceret[b], favorem ejus conciliaret[c], populum acquireret peculiarem[d], Spiritum ſuum iis daret[e], eorúmque hoſtes omnes debellaret[f], ipſóſque perduceret ad æternam ſalutem[g].

Q. *Quæ*

Q. *Quæ autem neceſsitas quamobrem homo eſſet Mediator?*

R. Oportebat Mediatorem eſſe hominem, quò naturam noſtram eveheret [h], obedientiam legi præſtaret [i], inq; natura noſtra, cùm pati poſſet tum intercedere [k]; ut infirmitatum noſtrarum ſenſu communi nobiſcum afficeretur [l]; ut nos denique Filiorum adoptionem reciperemus [m], & conſolationem acceſſúmque ad thronum gratiæ cum confidentia conſequeremur [n].

[h] Heb.2.16.
[i] Gal.4.4.
[k] Heb. 2.14. Heb.7.24,25.
[l] Heb.4.15.
[m] Gal. 4. 5.
[n] Heb.4.16.

Q. *Unde neceſſarium erat ut Mediator eſſet* Θεάνθρωπος *ſive in una eadémque perſona Deus & homo?*

R. Neceſſum erat ut Mediator, cujus erat Deum ac hominem conciliare, ipſe & Deus & homo exiſteret, & perſona quidem unica, ut opera utriuſque naturæ propria, à Deo pro nobis acceptarentur [o], nos autem ut illis tanquam totius perſonæ operibus niteremur [p].

[o] Mat.1.21,23. Mat. 3.17. Heb.9.14.
[p] 1 Pet. 2.6.

Q. *Quamobrem Mediatori noſtro inditum eſt nomen* Jeſus?

R. Mediatori noſtro nomen *Jeſus* inditum eſt quoniam populum

ſuum à peccatis eorum ſervat [q].

q Mat. 1.21.

Q. *Quare Mediator noſter vocabatur* Chriſtus?

R. Mediator noſter ideo *Chriſtus* vocabatur, quoniam Spiritu Sancto ſupra menſuram unctus eſt [r], adeóq; ſeparatus, plenéque inſtructus, cùm authoritate tum potentiâ [s], ad munera Prophetæ [t], Sacerdotis [u], ac Regis Eccleſiæ ſuæ [*], exequendum, tam in humiliationis, quàm exaltationis ſuæ ſtatu.

r Joh. 3.34. Pſal. 45.7.
s Joh. 6.27. Mat. 28.18, 19, 20.
t Act. 3.21, 22. Luc. 4.18, 21.
u Heb. 5.5, 6, 7. Heb. 4.14, 15.
* Pſal. 2.6. Mat. 21.5. Iſa. 9.6, 7. Phil. 2.8, 9, 10, 11.

Q. *Quibus modis exequitur Chriſtus munus Propheticum?*

R. Chriſtus exequitur Prophetæ munus, Eccleſiæ ſuæ [x], in unoquoque ſeculo integram Dei voluntatem [y], de omnibus quæ illorum ædificationem ſpectant & ſalutem revelando [z], per verbum quidem ſuum ſpiritúmque [a], variis tamen adminiſtrandi modis [b].

x Joh. 1.18.
y Joh. 15.15.
z Act. 20.32. Eph. 4.11, 12, 13, Joh. 20.31.
a 1 Pet. 1.10, 11, 12.
b Heb. 1.1, 2.

Q. *Quibus modis præſtat Chriſtus munus Sacerdotale?*

R. Chriſtus præſtat munus Sacerdotis, ſeipſum in Sacrificium Deo immaculatum ſemel offerendo [c], quod pro populi ſui peccatis reconciliatio foret [d],

c Heb. 9.14, 28.
d Heb. 2.17.

prout

prout etiam pro ipſis perpetuò intercedendo [e].

[e] Heb.7.25.

Q. *Quomodo Regis munere defungitur Chriſtus?*

R. Chriſtus exequitur munus Regium, dum populum ſibi ex mundo vocat [f], eóſque officiariis [g], legibus [h] atque cenſuris donat, atque inſtruit, quibus eos viſibili modo regit & gubernat [i]; dúmque largitur electis ſuis gratiam ſalvificam [k], cóſque obedientes remunerat [l], peccantes caſtigat [m], in tentationibus ac perpeſſionibus ſuſtentat ac conſervat [n], hoſtes eorum omnes coercet ſuperátque [o], omnia denique potentiâ ſuâ in ſui ipſius gloriam [p], eorúmque bonum ordinat [q]; quinetiam de reliquis omnibus ſupplicium ſumit, quotquot Deum ignorant & non obtemperant Evangelio [r].

[f] Act.15.14, 15, 16. Iſa. 55.4,5. Gen.49.10. Pſal.110.3.
[g] Eph.4.11,12. 1 Cor.12.28.
[h] Iſa.33.22.
[i] Mat. 18. 17, 18. 1 Cor.5.4,5.
[k] Act.5.35.
[l] Apoc.22.12. Apoc.2.10.
[m] Apoc.3.19.
[n] Iſa.63.9.
[o] 1 Cor.15.25. Pſal. 110. per totum.
[p] Rom.14.10, 11.
[q] Rom. 8. 28.
[r] 2 Theſſ.1.8,9. Pſal.2.8,9.

Q. *Quis erat ſtatus humiliationis Chriſti?*

R. Humiliationis Chriſti ſtatus erat humilis illa conditio quâ noſtri ergô gloriâ ſuâ ſemet exinanivit, formam ſervi in ſe ſuſcepit, cùm in conceptione & ortu, tum in vita & morte; imò

Phil. 2.6,7,8. Luc. 1.31. 2 Cor. 8.9. Act. 2.24.

verò etiam à morte uſque ad ejus reſurrectionem [f].

Q. *Quomodo in conceptione & nativitate ſua humiliavit ſe Chriſtus?*

R. Chriſtus in conceptione & nativitate ſua ſemet ipſum humiliavit, eò quòd ab omni æterno Filius Dei quamvìs eſſet in ſinu Patris, nihilominus tamen in plenitudine temporis Filius hominis fieri dignatus ſit; factus ex muliere humilis conditionis, ex eáq; naſci, cum variis inſolitæ demiſſionis circumſtantiis [t].

t Joh. 1.14,18. Gal. 4.4. Luc. 2.7.

Q. *Quomodo Chriſtus in vita ſua ſemet humiliavit?*

R. Chriſtus in vita ſua ſemet humiliavit, legi, quàm perfectè implevit [u], ſubjiciendo ſemet [*], quinetiam conflictando indigniſſimis mundi injuriis [x], tentationibus Satanæ [y], carníſque ſuæ infirmitatibus, tam naturæ humanæ communibus, quàm tenuem ipſius conditionem conſequentibus [z].

u Mat. 5.17. Rom. 5.19. * Gal. 4. 4. x Pſal. 22.6. Heb. 12.2,3. y Mat. 4. 1. ad 12. Luc. 4.13. z Heb. 2.17,18. Heb. 4.15. Iſa. 52.13,14.

Q. *Quomodo Chriſtus ſemet in morte ſua humiliavit?*

R. Chriſtus humiliavit ſe in morte ſua, in quantum à Juda proditus [a], à Diſci-

a Mat. 27.4.

Diſcipulis ſuis derelictus [b], à mundo ludibrio habitus ac rejectus [c], damnatus à Pilato, à perſecutoribus ſuis excruciatus [d], & cum terroribus mortis ac poteſtatibus tenebrarum conflictatus, pondúsque iræ Divinæ [e] quum ſenſerat ac ſuſtinuerat, animam ſuam depoſuit oblationem pro peccatis [f], ignominioſam, dolorificam ac maledictam crucis mortem ſubeundo [g].

Q. *In quo conſtabat Chriſti poſt mortem humiliatio?*

R. Chriſti poſt mortem humiliatio in hoc conſtabat, quod ſepultus fuerit [h], atque in ſtatu mortuorum & ſub poteſtate mortis ad tertium uſq; diem commoratus [i], quod aliàs quidem hiſce verbis expreſſum eſt ac ſignificatum, *Deſcendit ad inferos.*

Q. *Quis erat exaltationis Chriſti ſtatus?*

R. Status exaltationis Chriſti complectitur ejus reſurrectionem [k] & aſcenſum [l], ut & ſeſſionem ejus ad dextram Patris [m], reditúmq; ad mundum judicandum [n].

Q. *Quomodo erat Chriſtus in reſur-*

[b] *Mat.* 26.56.
[c] *Iſa.* 53.2,3.
[d] *Mat.* 27.26, ad 50. *Joh.* 19.34.
[e] *Luc.* 22.44. *Mat.* 27.46.
[f] *Iſa.* 53.10.
[g] *Phil.* 2.8. *Heb.* 12.2. *Gal.* 3.13.
[h] 1 *Cor.* 15.3,4.
[i] *Pſal.* 16.10. cum *Act.* 2.24, 25,26,27,31. *Rom.* 6.9. *Mat.* 12.40.
[k] 1 *Cor.* 15.4.
[l] *Marc.* 16,19.
[m] *Eph.* 1.20.
[n] *Act.* 1.11. *Act.* 17,31.

ſurrectione ſua exaltatus?

R. Chriſtus reſurrectione ſuâ eſt exaltatus, eò quòd cùm nullam vidiſſet corruptionem in morte (à qua impoſſibile erat eum detineri [o]) cum eodem ipſiſſimo, in quo paſſus eſt, [p] corpore, unà cum proprietatibus ejuſdem eſſentialibus [p], (mortalitatis tamen experte, ut & communium reliquarum, vitam hanc ſpectantium, infirmitatum) animæ ſuæ denuo realiter unito [q], ſuâ ipſius potentiâ fretus, à mortuis tertio die reſurrexerit [r], unde ſemet eſſe filium Dei [ſ], Divinæ juſtitiæ ſatisfeciſſe [t]; mortem, eúmque qui poteſtatem ejus habebat debellâſſe [u], denique ſe Dominum eſſe vivorum ac mortuorum [*] demonſtravit. Quæ quidem omnia tanquam perſona publica [x] & caput Eccleſiæ ſuæ [y] præſtitit, quò nempe illos juſtificaret [z], in gratia vivificaret [a], ſuppetias eis adverſùs hoſtes ferret [b], ut ipſi denique certum haberent ſe noviſsimo illo die à mortuis eſſe reſurrecturos [c].

o Act. 2.24,27.
p Luc. 24.39.
q Rom. 6.9. Apoc. 1.18.
r Joh. 10.18.
ſ Rom. 1.4.
t Rom. 8.34.
u Heb. 2.14.
* Rom. 14.9.
x 1 Cor. 15. 21, 22.
y Eph. 1.20,22, 23. Col. 1.18.
z Rom. 4.25.
a Eph. 2. 1,5,6. Col. 2.12.
b 1 Cor. 15. 25,26,27.
c 1 Cor. 15.20.

Q. *Quomodo erat Chriſtus in aſſcenſu ſuo exaltatus?*

R. Chriſtus

R. Chriſtus erat in aſſcenſu ſuo exaltatus eò quòd poſtquam Apoſtolis à reſurrectione ſua ſæpiùs apparuiſſet, cúmque iis eſſet converſatus, ea quæ Regni Dei ſunt annuncians [d], ſimul & poteſtatem ipſis faciens evangelium omnibus nationibus prædicandi [e], poſt quadraginta demum à reſurrectione ſua dies, in natura noſtra, útque caput noſtrum [f] de hoſtibus triumphans [g] viſibiliter aſſcenderit in ſupremos cœlos, ut ibi pro hominibus dona acciperet [h], ut affectus noſtros eò uſque elevaret [i], nobíſque locum præpararet [k], ubi ipſe manet manebítque uſque ad ſecundum ipſius adventum in conſummatione ſeculi [l].

[d] *Act.* 1. 2. 3.
[e] *Matt.* 28. 19, 20.
[f] *Heb.* 6. 20.
[g] *Eph.* 4. 8.
[h] *Act.* 1. 9, 10, 11. *Eph.* 4. 10. *Pſal.* 68. 18.
[i] *Col.* 3. 1, 2.
[k] *Joh.* 14. 3.
[l] *Act.* 3. 21.

Q. *Quo modo exaltatur Chriſtus ſeſſione ſuâ ad dextram Dei?*

R. Chriſtus exaltatur ſeſsione ſuâ ad dextram Dei, eò quòd quà Θεάνθρωπος ſummam Dei Patris gratiam ac favorem conſecutus ſit [m], unà cum omni plenitudine gaudii [n], gloriæ [o], ac potentiæ in omnia quæ in cœlis ac in terris ſunt [p]; quódque Eccleſiam ſuam colligat protegátque, eorum hoſtes proſternat,

[m] *Phil.* 2. 9.
[n] *Act.* 2, 28. cum *Pſal.* 16. 11.
[o] *Joh.* 17. 5.
[p] *Eph.* 1. 22. 1 *Pet.* 3. 22.

q *Eph.* 4. 10, 11, 12. *Pſal.* 110. per totum. r *Rom.* 8. 34. ſ *Heb.* 9. 12, 24. t *Heb.* 1, 3. u *Joh.* 3, 16. *Joh.* 17. 9. 20, 24. * *Rom.* 8. 33, 34. x *Rom.* 5. 1, 2. y *Joh.* 2. 1, 2. y *Heb.* 4. 16. z *Eph.* 1. 6. a 1 *Pet.* 2. 5.

proſternat, miniſtros ſuos populúmq; donis ac gratiis inſtruat [q], ac pro iis intercedat [r].

Q. *Quomodo intercedit Chriſtus?*

R. Chriſtus intercedit in natura noſtra coram Patre in cœlo jugiter comparendo [ſ], cum obedientiæ ſuæ ac in terris oblati ſacrificii merito [t]; quinetiam declarando velle ſe meritum illud ſuum univerſis credentibus applicari [u], omnes adversùs eos criminationes diluendo [*]; denique conſcientiæ tranquillitatem, lapſibus eorum quotidianis non obſtantibus [x], acceſſum ad thronũ gratiæ cum confidentia [y], eorúmq; cùm perſonarum [z] tum obedientiæ [a] acceptationem eis procurando.

Q. *Quo modo exaltandus eſt Chriſtus cùm redierit mundum judicaturus?*

b *Act.* 3. 14, 15. c *Matt.* 24. 30. d *Luc.* 9. 26. *Matt.* 25. 31.

R. Chriſtus, quum judicaturus mundum redierit, in eo exaltabitur, quòd ipſe, qui ab hominibus impiis injuſtè judicatus eſt & condemnatus [b], noviſsimo illo die in potentia maxima [c], plenáque gloriæ tum ſuæ tum paternæ manifeſtatione, ſtipatus univerſis angelis ſuis ſanctis [d], redibit cum

celeuſmate,

celeuſmate, cum voce Archangeli, & cum buccina Dei [e], mundum judicaturus in juſtitia [f].

[e] 1 *Theſ.* 4.16.
[f] *Act.* 17.31.

Q. *Quænam beneficia mediatione ſuâ impetravit Chriſtus?*

R. Chriſtus mediatione ſuâ impetravit redemtionem [g], unà cum omnibus aliis fœderis gratiæ beneficiis [h].

[g] *Heb.* 9.12.
[h] 2 *Cor.* 1. 20.

Q. *Unde autem fit, quod beneficiorum, quæ Chriſtus impetravit, ſumus participes?*

R. Participes facti ſumus beneficiorum quæ impetravit Chriſtus per eorundem nobis applicationem [i], quod Dei Spiritûs Sancti opus imprimis eſt [k].

[i] 1 *Joh.* 11.12.
[k] *Tit.* 3. 5, 6.

Q. *Quinam redemtionis per Chriſtum fiunt participes?*

R. Redemtio iis omnibus certò applicatur, & communicatur efficaciter pro quibus eam Chriſtus acquiſivit [l], qui quidem ſuo quiſq; tempore à Spiritu ſancto potentes fiunt in Chriſtum credere ſecundùm Evangelium [m].

[l] *Eph.* 1. 13, 14. *Joh.* 6. 37, 39. *Joh.* 10. 15, 16.
[m] *Eph.* 2. 8. 2 *Cor.* 4, 13.

Q. *An fieri poteſt, ut qui Evangelium nunquam audiverunt, adeóque nec Chriſtum nôrunt, neque in eum credunt, vivendo*

vendo ſecundùm naturæ lumen, æternam ſalutem conſequantur?

n Rom. 10. 14. o 2 Theſ. 1. 8, 9. Eph. 2. 12. Joh. 1. 10, 11, 12. p Joh. 8. 24. Marc. 16. 16. q 1 Cor. 1. 20. 21, 22, 23, 24. r Joh. 4. 22. Rom. 9. 31, 32. Phil. 3. 4, 5, 6, 7, 8, 9. ſ Act. 4. 12. t Eph. 5. 23.

R. Qui Evangelium nunquam audiverunt [n], Chriſtúmque adeò ignorant [o], nec in eum credunt, ſalvari nequeunt [p], ſummam licèt operam navaverint moribus ſuis ad naturæ lumen [q], iſtiúsque quam profitentur religionis legem componendis [r], neque in alio quovis ſalus eſt extra Chriſtum ſolum [ſ], qui ſalvator eſt non niſi corporis ſui, hoc eſt Eccleſiæ [t].

Q. *Omnésne ſalvantur, quotquot Evangelium audiunt ac in Eccleſia vivunt?*

u Joh. 12. 38, 39, 40. Rom. 9. 6. Matt. 22. 14. Matt. 7. 21. Rom. 11. 7.

R. Non ſalvantur omnes qui Evangelium audiunt, ac in Eccleſia viſibili vitam degunt, verùm illi ſoli qui membra ſunt Eccleſiæ inviſibilis [u].

Q. *Quid eſt Eccleſia viſibilis?*

R. Eccleſia viſibilis eſt ſocietas ex iis omnibus quotquot in omnibus mundi locis temporibúsq; religionem veram profitentur [*], corúmque liberis coagmentata. [x].

* 1 Cor. 1. 2. 1 Cor. 12. 13. Rom. 15. 9, 10, 11, 12. Apoc. 7. 9. Pſal. 2. 8. Pſal. 22. 27, 28, 29, 30, 31. Pſal. 45. 17. Mat. 28. 19, 20. Iſa. 59. 21. x 1 Cor. 7. 14. Act. 2. 39. Rom. 11. 16. Gen. 17. 7.

Q. *Quænam*

Q. *Quænam ſunt peculiaria viſibilis Eccleſiæ privilegia?*

R. Eccleſia viſibilis hoc habet privilegii, quòd ſit ſub ſpeciali Dei cura ac regimine [y]; unde per omnes ætates, hoſtibus omnibus nequicquam contrà nitentibus [z], protecta fuit & conſervata; quòd Sanctorum communione, ſalutíſque mediis ordinariis potiatur [a]; quódque ſingulis ejuſdem membris in miniſterio Evangelii gratia per Chriſtum offeratur, qui ſalvatum iri, quicunque in eum crediderit, teſtificatur [b]; neminem autem excludit qui ad ipſum venire volet [c].

[y] *Iſa.* 4. 5, 6. 1 *Tim.* 4. 10. [z] *Pſal.* 115. per totum. *Iſa.* 31. 4, 5. *Zach.* 12. 2, 3, 4, 8, 9. [a] *Act.* 2. 39, 42. [b] *Pſal.* 147. 19, 20. *Rom.* 9. 4. *Eph.* 4. 11, 12. *Marc.* 16. 15, 16. [c] *Joh.* 6. 37.

Q. *Quid eſt Eccleſia inviſibilis?*

R. Inviſibilis Eccleſia, eſt electorum numerus univerſus, quotquot nempe fuerunt, ſunt, aut erunt unquam in unum collecti ſub Chriſto capite [d].

[d] *Eph.* 1. 10. 22, 23. *Joh.* 10. 16. *Joh.* 11. 52.

Q. *Quæ ſunt ſpecialia illa beneficia, quibus Eccleſiæ inviſibilis membra per Chriſtum potiuntur?*

R. Membra Eccleſiæ inviſibilis per Chriſtum in gratia ac gloria unione cum ipſo & communione potiuntur [e].

[e] *Joh.* 17. 21. *Eph.* 2. 5, 6. *Joh.* 17. 24.

Q. *Quid*

Q. *Quid eſt unio illa quæ electis cum Chriſto intercedit?*

R. Unio quæ electis cum Chriſto intercedit, eſt opus Divinæ gratiæ [f], quo ſpiritualiter quidem ac myſticè, realiter tamen ac inſeparabiliter Chriſto tanquam capiti ac marito ſuo conjunguntur [g]; quod quidem effectum eſt vocatione illorum efficaci [h].

Q. *Quid eſt vocatio efficax?*

R. Vocatio efficax eſt opus omnipotentis poteſtatis & gratiæ Dei [i], quo ex amore ſuo erga electos, gratuito illo quidem ac ſpeciali, nullâ in ipſis re quicquam eum ad id movente [k], tempore ſuo accepto, per verbum ſuum Spiritúmq; ad Jeſum Chriſtum eos invitat atque trahit [l], ſalutariter mentes eorum illuminans [m], voluntates renovans [n], ac potenter determinans, adeò quidem ut per ſe mortui licèt in peccatis ſint, hac ratione tamen volentes fiant ac potentes, vocationi ipſius liberrimè reſpondere, gratiámque inibi oblatam & exhibitam excipere quidem & amplexari [o].

Q. *An ſoli electi vocantùr efficaciter?*

R. Omnes

[f] *Eph.* 1.22. *Eph.* 2.6,7,8.
[g] 1 *Cor.*6.17. *Joh.*10.28. *Eph.*5.23,30.
[h] 1 *Pet.*5.10. 1 *Cor.* 1. 9.
[i] *Joh.*5.25. *Eph.*1.18,19, 20. 2 *Tim.*1.8, 9.
[k] *Tit.*3.4,5. *Eph.* 2. 4,5,7, 8, 9. *Rom.* 9. 11.
[l] 2 *Cor.* 5. 20. cum 2 *Cor.* 6. 1, 7. *Joh.*6.44. 2 *Theſ.*2.13, 14.
[m] *Act.* 26.18. 1 *Cor.* 2.10,12.
[n] *Ezech.*11,19. *Ezech.* 36.26, 27. *Joh.*6.45.
[o] *Eph.* 2. 5. *Phil.* 2. 13. *Deut.* 30. 6.

R. Omnes & ſoli electi vocantur efficaciter [p], quamvis alii etiam verbi miniſterio externè vocari & poſſint & ſoleant [q], communésque nonnullas operationes Spiritûs experiri [r], qui ob contumacem ſuum gratiæ ſibi oblatæ neglectum & contemptum, nunquam verè ad Chriſtum accedunt, in ſua nempe infidelitate quàm juſtiſſimè derelicti [ſ].

Q. *Qualis eſt communio in gratia quæ membris Eccleſiæ inviſibilis cum Chriſto intercedit?*

R. Communio in gratia quæ membris Eccleſiæ inviſibilis cum Chriſto intercedit, eſt eorum de virtute mediationis Chriſti participatio, in juſtificatione [t], adoptione [u], ſanctificatione, & quicquid aliud ſit, quod eorum cum ipſo unionem in hac vita manifeſtat [*].

Q. *Quid eſt juſtificatio?*

R. Juſtificatio eſt actus gratuitæ Dei erga peccatores gratiæ [x], quo peccata illorum omnia condonat, perſonas eorum pro juſtis in conſpectu ipſius acceptat reputátque [y], non quidem propter quicquam in iis productum, aut

p *Act.* 13. 48.
q *Matt.* 22. 14.
r *Matt.* 7. 22. *Mat.* 13. 20, 21. *Heb.* 6. 4, 5.
ſ *Joh.* 12. 38, 39, 40. *Act.* 28. 25, 26, 27. *Joh.* 6. 64, 65. *Pſal.* 81. 11, 12.
t *Rom.* 8. 30.
u *Eph.* 1. 5.
* 1 *Cor.* 1. 30.
x *Rom.* 3. 22, 24, 25. *Rom.* 4. 5.
y 2 *Cor.* 5. 19, 21. *Rom.* 3. 22, 24, 25, 27, 28.

[z] *Tit.* 3. 5, 7. *Eph.* 1. 7. [a] *Rom.* 5. 17, 18, 19. *Rom.* 4. 6, 7, 8. [b] *Act.* 10. 43. *Gal.* 2. 16. *Phil.* 3. 9.

aut ab iis præſtitum [z], verùm propter ſolam Chriſti perfectam obedientiam, ac plenam ſatisfactionem à Deo illis imputatam [a], receptam autem fide ſolúm [b].

Q. *Quomodo eſt juſtificatio actus gratiæ Dei gratuitæ?*

[c] *Rom.* 5. 8, 9, 10, 19. [d] 1 *Tim.* 2. 5, 6. *Heb.* 10. 10. *Matt.* 20. 28. *Dan.* 9. 24, 26. *Iſa.* 53. 4, 5, 6, 10, 11, 12. *Heb.* 7. 22. *Rom.* 8. 32. 1 *Pet.* 1. 18, 19. [e] 2 *Cor.* 5. 21. [f] *Rom.* 3. 24, 25. [g] *Eph.* 2. 8. [h] *Eph.* 1. 7.

R. Quanquam Chriſtus obedientiâ & morte ſuâ juſtitiæ divinæ propriè, realiter, ac plenè illorum vice, qui juſtificantur, ſatisfecit [c]; nihilominus tamen in quantum Deus ſatisfactionem, quam ab illis poterat exegiſſe, a vade acceptavit, vadémque hunc iis procuravit, filium nempe ſuum unicum [d], imputans iis juſtitiam ejus [e], nihílque ab iis ad juſtificationem eorum requirens præter fidem [f], quæ etiam ipſa illius donum eſt [g], juſtificatio illorum eſt quoad ipſos à gratia gratuita [h].

Q. *Quid eſt fides juſtificans?*

[i] *Heb.* 10. 39. [k] 2 *Cor.* 4. 13. *Eph.* 1. 17, 18, 19. [l] *Rom.* 10. 14, 17.

R. Fides juſtificans eſt gratia ſalutaris [i], à Spiritu [k] verbóque [l] Dei effecta in corde peccatoris, quâ convictus peccati ac miſeriæ ſuæ, ut & ſummæ illius quæ in ipſo eſt reliquíſque omnibus

bus creaturis impotentiæ, eum à perdita ſua & planè conclamata conditione vindicandi [m], non ſolùm Evangelicæ promiſsionis veritati aſſentitur [n], verùm etiam Chriſtum, ejúſque juſtitiam recipit, iísque nititur inibi oblatis, in remiſſionem peccati [o], perſonæq; ſuæ pro juſta in conſpectu Dei acceptationem & reputationem ad ſalutem [p].

[m] *Act.* 2. 37. *Act.* 16. 30. *Joh.* 16. 8, 9. *Rom.* 5. 6. *Eph.* 2. 1. *Act.* 4. 12.
[n] *Eph.* 1. 13.
[o] *Joh.* 1. 12. *Act.* 16. 31. *Act.* 10. 43.
[p] *Phil.* 3. 9. *Act.* 15. 11.

Q. *Quomodo fides juſtificat peccatorem in conſpectu Dei?*

R. Fides juſtificat peccatorem in conſpectu Dei, non quidem propter alias illas, quæ perpetuò illam comitantur, gratias; ſed neque ſanè propter ea, quæ fructus ejus ſunt [q], bona opera; neque perinde ac ſi ipſa fidei gratia, aut ejuſdem actus quivis, ad juſtificationem illi eſſet imputatus [r]; verùm ſolummodo quatenus inſtrumentum eſt, quo Chriſtum ejúsque juſtitiam recipit applicátque [ſ].

[q] *Gal.* 3. 11. *Rom.* 3. 28.
[r] *Rom.* 4. 5. cum *Rom.* 10. 10.
[ſ] *Joh.* 1. 12. *Phil.* 3. 9. *Gal.* 2. 16.

Q. *Quid eſt adoptio?*

R. Adoptio eſt actus gratiæ Dei gratuitæ [t], in & pro Jeſu Chriſto filio ejus unico [u], quo juſtificati omnes in numerum filiorum ejus recipiuntur [*], impoſi-

[t] 1 *Joh.* 3. 1.
[u] *Eph.* 1. 5. *Gal.* 4. 4, 5.
[*] *Joh.* 1. 12.

x 2 Cor. 6. 18. Apoc. 3. 12. y Gal. 4. 6. z Pſal. 103. 13. Prov. 14. 26. Matt. 6. 32. a Heb. 6. 12. Rom. 8. 17.

impoſitum ſibi habent ejus nomen [x], Spiritum filii ejus dono accipiunt [y], ſub paterna ipſius cura ac diſpenſatione conſtituuntur [z], ad immunitates omnes ac privilegia filiorum Dei admittuntur, promiſsionum fiunt hæredes & cum Chriſto in gloria cohæredes [a].

Q. *Quid eſt ſanctificatio?*

b Eph. 1. 4. 1 Cor. 6. 11. 2 Theſ. 2. 13. c Rom. 6. 4, 5, 6. d Eph. 4. 23, 24. e Act. 11. 18. 1 Joh. 3. 9. f Judæ v. 20. Heb. 6. 11, 12. Eph. 3. 16, 17, 18, 19. Col. 1. 10, 11. g Rom. 6. 4, 6, 14. Gal. 5. 24.

R. Sanctificatio eſt opus Divinæ gratiæ, quo omnes, quos Deus ante jacta mundi fundamenta elegit ad ſanctimoniam, ſunt per potentem operationem Spiritûs ejus [b], Chriſti mortem eis & reſurrectionem applicantis [c], in tempore per totum hominem ad imaginem Dei renovati [d]: indita cordibus ſuis habentes reſipiſcentiæ ad vitam, aliarúmque gratiarum omnium ſalutarium [e], ſemina, ipsásq; gratias ità excitatas, auctas & confirmatas [f], ut magìs indies magíſque peccato moriantur, atque ad novitatem vitæ reſurgant ac reviviſcant [g].

Q. *Quid eſt reſipiſcentia ad vitam?*

h 2 Tim. 2. 25. i Zech. 12. 10. k Act. 11. 18, 20, 21,

R. Reſipiſcentia ad vitam eſt gratia ſalvifica [h] à Spiritu [i] verbóque [k] Dei

Dei effecta in corde peccatoris, quâ ex inſpectu ſensúque non ſolùm periculi[l], ſed etiam turpitudinis, & exoſæ naturæ peccatorum ſuorum[m], atque è perſpecta Dei erga reſipiſcentes in Christo miſericordia[n], ità peccata ſua deflet[o] ac deteſtatur[p], ut ab iis omnibus ad Deum convertatur[q], cum propoſito & conatu in omnibus novæ obedientiæ viis conſtànter cum ipſo ambulandi[r].

[l] *Ezech.* 18, 28, 30, 32. *Luc.* 15, 17, 18. *Hoſ.* 2. 6, 7.
[m] *Ezech.* 36. 31. *Iſa.* 30. 22.
[n] *Joel.* 2. 12, 13.
[o] *Jer.* 31. 18, 19.
[p] 2 *Cor.* 7. 11.
[q] *Act.* 26. 18. *Ezech.* 14. 6. 1 *Reg.* 8. 47, 48.
[r] *Pſal.* 119. 6, 59, 128. *Luc.* 1. 6. 2 *Reg.* 23. 25.

Q. *In quo à ſe invicem differunt juſtificatio & ſanctificatio?*

R. Quanquam ſanctificatio juſtificationi inſeparabiliter planè ſit conjuncta[ſ], in eo tamen differunt, quòd in juſtificatione Deus imputet juſtitiam Chriſti[t], in ſanctificatione autem Spiritus ejus gratiam infundat, eámq; exercendi potentiam ſuppeditet[u]; in illa peccatum condonatur[*], in hac ſub jugum mittitur[x]: altera fideles ex æquo omnes ab ira Dei vindicante, idq; in hac vita perfectè liberat, adeò ut in condemnationem nunquam incidant[y], altera verò neque in omnibus æqualis exiſtit[z], neque in quoquam eſt

[ſ] 1 *Cor.* 6. 11. 1 *Cor.* 1. 30.
[t] *Rom.* 4. 6, 8.
[u] *Ezech.* 36. 27.
[*] *Rom.* 3. 24, 25.
[x] *Rom.* 6. 6, 14.
[y] *Rom.* 8. 33, 34.
[z] 1 *Joh.* 2. 12, 13, 14. *Heb.* 5. 12, 13, 14.

[a] 1 *Joh.* 1. 8, 10.
[b] 2 *Cor.* 7. 1.
Phil. 3. 12, 13, 14.

in hâc vitâ perfecta [a], verùm ad perfectionem adoleſcit [b].

Q. *Unde oritur ſanctificationis in fidelibus imperfectio?*

R. Imperfectio ſanctificationis in fidelibus oritur è reliquis peccati in omni eorum parte remanentibus, perpetuis carnis adversùs ſpiritum concupiſcentiis, unde fit ut à tentationibus vincantur ſæpiùs, in peccata multa incidant [c], in officiis ſuis ſpiritualibus ſufflaminentur [d], operáq; eorum optima in conſpectu Dei imperfecta ſint & contaminata [e].

[c] *Rom.* 7. 18, 23.
Marc. 14. 66. ad finem.
Gal. 2. 11, 12.
[d] *Heb.* 12. 1.
[e] *Iſa.* 64. 6.
Exod. 28. 38.

Q. *Annon fieri poſsit propter eorum quà imperfectiones, quà tentationes multas, ac peccata, quæ admittunt, ut è ſtatu gratiæ tandem excidant fideles?*

R. Verè fideles per amorem Dei immutabilem [f], ejúsque decretum ac fœdus perſeverantiam eis largiendi [g], ut etiam inſeparabilem eorum cum Chriſto unionem [h], ejúſque pro eis interceſſionem perpetuam [i], per ſpiritum denique ſeménque Dei in ipſis permanentes [k], ſtatu gratiæ nec finaliter neque

[f] *Jer.* 31. 3.
[g] 2 *Tim.* 2. 19.
Heb. 13. 20, 21.
2 *Sam.* 23. 5.
[h] 1 *Cor.* 1. 8, 9.
[i] *Heb.* 7. 25.
Luc. 22. 32.
[k] 1 *Joh.* 3. 9.
1 *Joh.* 2. 27.

neque totaliter poſſunt excidere [l]; verùm potentiâ Dei per fidem cuſtodiuntur ad ſalutem [m].

[l] Jer. 32.40. Joh. 10. 28.

[m] 1 Pet. 1. 5.

Q. *Poſſúntne verè fideles infallibilem habere certitudinem ſe in ſtatu gratiæ conſtitutos, déque ſua in eodem perſeverantia ad ſalutem?*

R. Qui verè in Chriſtum credunt, ſtudentes coram ipſo in omni bona conſcientia ambulare [n], poſſunt quidem abſque revelatione extraordinaria per fidem veritati promiſſionum Dei nixam, pérque Spiritum facultatem iis ſubminiſtrantem, quâ gratias illas quibus promiſſiones vitæ fiunt [o], diſcernere valeant in ſeipſis, & unà cum ſpiritibus eorum teſtificantem eos eſſe Dei filios [p], infallibiliter certi evadere eſſe ſe cùm in ſtatu gratiæ conſtitutos, tum perſeveraturos in eodem ad ſalutem [q].

[n] 1 Joh. 2. 3.

[o] 1 Cor. 2. 12. 1 Joh. 3. 14, 18, 19, 21, 24. 1 Joh. 4. 13. 16. Heb. 6. 11, 12.

[p] Rom. 8. 16.

[q] 1 Joh. 5. 13.

Q. *An omnes verè fideles, omni tempore, certi ſunt de præſenti ſuo in gratiæ ſtatu, déque futura ſalute?*

R. Quum certitudo gratiæ ac ſalutis de eſſentia fidei non ſit [r], verè fideles priuſquam eam conſequantur, diu

[r] Eph. 1. 13.

[t] *Iſa.* 50. 10. poſſunt expectare [t]; quinetiam poſt-
Pſal 88. per totum. quam eam adepti ſunt, perturbationi-
[t] *Pſal.* 77. 1. ad 12. bus quidem multifariis, peccatis, tenta-
Cant. 5. 2, 3, 6. tionibus, ac deſertionibus debilitari illa
Pſal. 51. 8, 12. poteſt ac intermitti [t]; nunquam tamen
Pſal. 31. 22. eâ Spiritûs Dei præſentiâ, iiſque ſub-
Pſal. 22. 1. ſidiis deſtituuntur, quæ eos ſuſtentant
[u] 1 *Joh.* 3. 9. quò minus in deſperationem penitus
Job. 13. 15. *Pſal.* 73. 15, 23. *Iſa.* 54. 7, 8, 9, 10. demergantur [u].

Q. *Quænam eſt communio gloriæ, quæ membris Eccleſiæ inviſibilis cum Chriſto intercedit?*

R. Communio gloriæ, quæ membris Eccleſiæ inviſibilis cum Chriſto
[w] 2 *Cor.* 3. 18. intercedit, eſt cùm in hac vita [w], tum
[x] *Luc.* 23. 43. immediatè poſt mortem [x], tum verò etiam perfecta demum in reſurrectio-
[y] 1 *Theſ.* 4. 17. ne, ac die judicii [y].

Q. *Quænam eſt illa gloriæ cum Chriſto communio, quâ membra Eccleſiæ inviſibilis in hac vita potiuntur?*

R. Membris Eccleſiæ inviſibilis primitiæ gloriæ cum Chriſto in hac vita communicantur, in quantum ejus, capitis nempe ſui, membra ſunt; adeóque in ipſo jus habent in illa gloria, cujus plenam ille poſſeſſionem eſt

aſſecutus [z],

aſſecutus [z], cujuſque velut arrhabone quodam divini amoris ſenſu [a], conſcientiæ pace, gaudio in Spiritu ſancto, & ſpe gloriæ potiuntur [b]. Quemadmodum è contrario, ſenſus iræ Dei vindicantis, conſcientiæ horror, judiciiq; terribilis expectatio improbis initia ſunt illorum cruciatuum, qui ab illis ſunt poſt mortem ſubeundi [c].

[z] *Eph.* 2. 5, 6.
[a] *Rom.* 5. 5. cum 2 *Cor.* 1. 22.
[b] *Rom.* 5, 1, 2. *Rom.* 14. 17.
[c] *Gen.* 4. 13. *Matt.* 27 4. *Heb.* 10. 27. *Rom.* 2. 9. *Marc.* 9. 44.

Q. *An omnes homines morientur?*

R. Quandoquidem lex mortem tanquam peccati mercedem interminatur [d], conſtitutum eſt omnibus ſemel mori [e], in quantum omnes peccaverunt [f].

[d] *Rom.* 6. 23.
[e] *Heb.* 9. 27.
[f] *Rom.* 5. 12.

Q. *Quum mors ſit peccati ſtipendium, unde fit ut à morte non eximantur juſti, poſtquam omnia illorum peccata in Chriſto remittuntur?*

R. Juſti in die noviſsimo à morte ipſa liberabuntur, quinetiam in ipſa morte ab aculeo ejus & maledictione liberantur [g], adeò ut quamvìs moriantur, ex Dei tamen amore illud fit [h], nempe ut hac ratione perfectè à peccato & miſeria liberentur [i], & ulterioris communionis cum Chriſto in glo-

[g] 1 *Cor.* 15. 26, 56. *Heb.* 2. 15.
[h] *Iſa.* 57. 1, 2. 2 *Reg.* 22. 20.
[i] *Apoc.* 14. 13. *Eph.* 5. 27.

ria fiant capaces, quam tum quidem primum ingrediuntur [k].

[k] *Luc.* 23. 43. *Phil.* 1. 23.

Q. *Quænam eſt ea communio gloriæ cum Chriſto quâ membra Eccleſiæ inviſibilis immediatè poſt mortem potiuntur?*

R. Communio gloriæ cum Chriſto, quâ membra Eccleſiæ inviſibilis immediatè poſt mortem potiuntur, in eo conſiſtit, quòd eorum animæ in ſanctitate tum demum fiant perfectæ [l], atq; in ſupremos cœlos recipiantur [m], ubi in lumine & gloria faciem Dei intuentur [n], corporum ſuorum redemtionem expectantes [o], quæ Chriſto vel etiam poſt mortem unita manent [p], atque in ſepulchris ſuis tanquam in lectis requieſcunt [q], donec in die noviſſimo animabus ſuis denuò uniantur [r]. Impiorum verò animæ à mortè continuò in gehennam detruduntur, ubi in cruciatibus & tenebris exterioribus durant, eorúmque corpora in ſepulchris ſuis tanquam in carceribus uſque ad reſurrectionem & magni illius diei judicium aſſervantur [ſ].

[l] *Heb.* 12. 23.
[m] 2 *Cor.* 5, 1, 6, 8. *Phil.* 1. 23. cum *Act.* 3. 21. & *Eph.* 4. 10.
[n] 1 *Joh.* 3. 2. 1 *Cor.* 13. 12.
[o] *Rom.* 8. 23. *Pſal.* 19. 6.
[p] 1 *Theſ.* 4. 14.
[q] *Iſa.* 57. 2.
[r] *Job.* 19. 26, 27.
[ſ] *Luc.* 16. 23, 24. *Act.* 1. 25. *Juda* v. 6, 7.

Q. *Quid autem de reſurrectione tenemur credere?*

R. Credere

R. Credere tenemur futuram eſſe in die noviſſimo reſurrectionem mortuorum tam juſtorum quàm injuſtorum univerſalem [t]; quo certè tempore, quotquot in vivis reperientur, in ictu oculi mutabuntur : mortuorum autem corpora ipſiſsima illa, quæ in ſepulchris priùs deponebantur, animabus ſuis denuò in æternum unita per potentiam Chriſti ſuſcitabuntur [u]; corpora juſtorum per Spiritum & vi reſurrectionis Chriſti, (quatenus eorum capitis) ſuſcitabuntur in potentia, ſpiritualia, incorruptibilia, & glorioſo ipſius corpori conformata [*] : corpora verò impiorum ſuſcitabuntur in dedecore, per eundem quatenus læſum judicem [x].

[t] *Act.* 24.15.

[u] 1 *Cor.* 15. 51, 52, 53. 1 *Theſ.* 4. 15, 16, 17. *Joh.* 5. 28, 29.

[*] 1 *Cor.* 15. 21, 22, 23, 42, 43, 44. *Phil.* 3. 21.

[x] *Joh.* 5. 27, 28, 29. *Mat.* 25. 33.

Q. *Quid eſt immediatè poſt reſurrectionem ſecuturum?*

R. Poſt reſurrectionem immediatè ſequetur judicium Angelorum hominúmqne generale ac finale [y], cujus diem quidem horámque nemo mortalium novit, nempe quò omnes vigiliis ſe ac orationi addicant, ſempérque ſint in adventum Domini præparati [z].

[y] 2 *Pet.* 2. 4. *Judæ* v. 6, 7, 14, 15. *Mat.* 25. 46.

[z] *Mat.* 24. 36, 42, 44. *Luc.* 21. 35, 36.

Q. *Quid*

Q. *Quid fiet improbis in die judicii?*

R, Improbi in die judicii ad læuam Chriſti conſtituentur [a], & poſt probationem evidentem, & conſcientiæ ipſorum convictionem plenam [b], tremenda, ſed juſta condemnationis ſententia adversùs eos pronunciabitur [c]; deinde verò præſentiâ Dei gratioſâ, glorioſâ Chriſti, Sanctorum ejus, angelorúmque ejus ſanctorum omnium ſocietate ejicientur in gehennam tormentis ineffabilibus animi corporíſq; puniendi cum diabolo ejúſque angelis in æternum [d].

[a] *Matt.* 25.33.
[b] *Rom.* 2.15,16.
[c] *Mat.* 25.41, 42,43.
[d] *Luc.* 16.26. 2 *Theſ.* 1.8,9.

Q. *Quid fiet juſtis in die judicii?*

R. Juſti in die judicii ad Chriſtum in nubibus ſurſum rapti [e], ſiſtentur ad dextram ejus, ubi palàm agnoſcentur & abſolventur [f]; tum verò Chriſto aſſeſſores erunt, reprobos angelos hominéſque judicanti [g], cœlo excipientur [h], ubi plenè ac in perpetuum peccato ac miſeria liberabuntur [i], gaudiis non concipiendis erunt repleti [k], fient perfectè ſancti & beati cùm in anima, tum in corpore, conſortio nempe ſanctorum

[e] 1 *Theſ.* 4.17.
[f] *Mat.* 25.33. *Mat.* 10.32.
[g] 1 *Cor.* 6.2,3.
[h] *Matt.* 25.34, 46.
[i] *Eph.* 5.27. *Apoc.* 14.13.
[k] *Pſal.* 16.11.

ctorum tam hominum quàm angelorum innumerabilium [l], tum verò præcipuè immediatâ Dei Patris, Domini noſtri Jeſu Chriſti & Spiritûs ſancti viſione & fruitione in ſempiternum [m]. Atque hæc quidem eſt communio illa plena & perfecta, quâ membra Eccleſiæ inviſibilis cum Chriſto in gloria, in reſurrectione, & die judicii potientur.

[l] Heb.12.22, 23.

[m] 1 Joh.3.2. 1 Cor.13.12. 1 Theſ.4.17, 18.

Poſtquam jam perſpeximus quid nos præcipuè de Deo credere doceant Scripturæ, ſequitur ut, quid exigant, tanquam hominis officium, diſpiciamus.

Q. *Quodnam eſt officium illud quod exigit ab homine Deus?*

R. Officium quod ab homine Deus exigit eſt obedientia voluntati ejus revelatæ [n].

[n] Rom.12.1,2. Mic. 6.8. 1 Sam.15.22.

Q. *Quid homini primùm tanquam obedientiæ ſuæ regulam revelavit Deus?*

R. Obedientiæ regula Adamo in ſtatu

ſtatu innocentiæ, totíque in eo humano generi revelata, præter mandatum ſpeciale de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni malíque, erat lex moralis [o].

[o] Gen. 1.26,27. Rom. 2.14,15. Rom. 10.5. Gen. 2.17.

Q. *Quid eſt lex moralis?*

R. Lex moralis eſt voluntatis Divinæ humano generi declaratio, unumquemque dirigens obligánsque ad perſonalem, perfectam ac perpetuam conformitatem, & obedientiam eidem exhibendam [p]; cùm totius hominis animæ corporíſque affectione ac diſpoſitione debita, tum præſtatione omnium officiorum tam ſanctimoniæ quàm juſtitiæ Deo hominíque debitorum [q], vitam promittens obſervantibus, mortem autem interminans eandem violantibus [r].

[p] Deut. 5.1,2,3,31,33. Luc. 10.26,27. Gal. 3.10. 1 Theſ. 5.23.

[q] Luc. 1.75. Act. 24.16.

[r] Rom. 10.5. Gal. 3.10,12.

Q. *Eſtne lex Moralis homini poſt lapſum utilis?*

R. Quamvìs poſt lapſum nemo per legem moralem ad juſtitiam vitámque poſſit pertingere [ſ], utilitatem tamen habet non mediocrem, tam omnibus hominibus communem, quàm quà regenitis, quà non regenitis peculiarem [t].

[ſ] Rom. 8.3. Gal. 2.16.

[t] 1 Tim. 1.8.

Q. *Quo-*

Q. *Quomodo omnibus utilis eſt lex moralis?*

R. Lex moralis utilis eſt omnibus, ad edocendum eos ſanctam Dei naturam ac voluntatem[u], ſuúmq; officium, quos etiam obligat ad conſentaneè ambulandum [*]: ad convincendum eos quàm ſint ad obſervandam illam prorſus impotentes, quantáque ſint & quàm nefaria naturæ, cordis, vitæque ſuæ inquinamenta[x]: ad humiliandum eos è ſenſu peccati ſui ac miſeriæ[y], quò conſtare poſſit iis evidentiùs quàm neceſſarius eis Chriſtus ſit[z], quámque perfecta ipſius obedientia[a].

[u] *Lev.*11.44, 45. *Lev.*20.7,8. *Rom.*7.12.
[*] *Mic.*6.8. *Jac.*2.10,11.
[x] *Pſal.*19.11, 12. *Rom.*3. 20. *Rom.*7.7.
[y] *Rom.*3.9, 23.
[z] *Gal.*3. 21,22.
[a] *Rom.*10.4.

Q. *Quis peculiaris uſus legis moralis hominibus non regenitis?*

R. Lex moralis uſui eſt non regenitis ad conſcientias ipſorum expergefaciendas, ut fugiant ab ira ventura[b], eósque ad Chriſtum adigendos[c]; vel ſi in ſtatu peccati permanſerint, ut omni excuſatione nudi[d], & maledictioni legis ſubjecti[e] relinquantur.

[b] 1*Tim.*1.9, 10.
[c] *Gal.*3.24.
[d] *Rom.*1.20. cum *Rom.*2.15.
[e] *Gal.*3.10.

Q. *Quis uſus legis moralis regenitis ſpecialis?*

R. Quamvìs qui regenerantur, & in Chri-

Chriſtum credunt, à lege morali, quatenus erat fœdus operum, liberentur [f], adeò ut indè nec juſtificentur [g], nec condemnentur [h]; nihilominus præter ejus generales uſus cum univerſo humano genere iis communes, eſt iis porrò ſpeciali modo utilis, nempe ut indè intelligere poſſint quantum Chriſto debeant, qui eorum loco eorúmque bono eam præſtitit, ejúsque maledictionem ſubiit [i]; utque adeò indè ad majorem gratitudinem provocentur [k], eandémq; manifeſtandam majori curâ ſemetipſos legi tanquam obedientiæ ſuæ normæ conformando [l].

[f] *Rom.* 6.14. *Rom.* 7.4,6. *Gal.* 4.4,5.
[g] *Rom.* 3.20.
[h] *Gal.* 5.23. *Rom.* 8.1.
[i] *Rom.* 7.24,25. *Gal.* 3.13,14. *Rom.* 8.3,4.
[k] *Luc.* 1.68,69,74,75. *Col.* 1.12,13,14.
[l] *Rom.* 7.22. *Rom.* 12.2. *Tit.* 2.11,12,13,14.

Q. *Ubinam ſummariè comprehenditur lex moralis?*

R. Lex moralis ſummariè comprehenditur in decem præceptis decalogi, quæ voce Dei in Monte Sinai tradita, ab eóque inſcripta in duabus tabulis lapideis [m], deſcripta verò extant *Exodi* 20. quatuor quidem mandata prima officium noſtrum erga Deum; reliqua ſex officium noſtrum erga homines complectuntur [n].

[m] *Deut.* 10.4. *Exod.* 34.1,2,3,4.
[n] *Mat.* 22.37,38,39,40.

Q. *Ut Decalogus rectè intelligatur,*

quænam regulæ ſunt obſervandæ?

R. Ut Decalogus rectè intelligatur iſthæc regulæ ſunt obſervandæ.

1. Lex eſt perfecta, unumquemque obligans ad accuratam totius hominis cum juſtitia ejuſdem congruentiam, ad obedientiam integram & perpetuam, adeò quidem ut ſummam exigat cujusq; officii perfectionem, gradũ verò peccati minimum quemq; prohibeat [o].

[o] *Pſal.* 19. 7. *Jac.* 2. 10. *Matt.* 5. 21. ad finem.

2. Lex eſt ſpiritualis, adeóque non minùs intellectum, voluntatem, affectiones, cæteráſque omnes animæ potentias pertingit, quàm verba, opera, geſtúsque externos [p].

[p] *Rom.* 7. 14. *Deut.* 6. 5. cum *Mat.* 22. 37, 38, 39. *Matt.* 5. 21, 22, 27, 28, 36, ad finem.

3. Res una eadémque, reſpectu alio atq; alio, in pluribus mandatis aut præcipitur aut prohibetur [q].

[q] *Col.* 3. 5. *Amos.* 8. 5. *Prov.* 1. 19. 1 *Tim.* 6. 10.

4. Quemadmodum ubi officium præcipitur, peccatum ei contrarium prohibetur; ubicunque verò prohibetur peccatum quodvis, ibi etiam præcipitur officium eidem contrarium [ſ]: ad eundem modum ubi promiſſum ſubjungitur, includitur ei contraria comminatio [t]; ubi verò interminatio ſubnectitur, contrarium ibi pro-

[r] *Iſa.* 58. 13. *Deut.* 6. 13. cum *Mat.* 4. 9, 10. *Mat.* 15. 4, 5, 6.

[ſ] *Mat.* 5. 21, 22, 23, 24, 25. *Eph.* 4. 28.

[t] *Exod.* 20. 12. cum *Prov.* 30. 17.

[u] *Jer.*18.7,8. *Exod.*20.7. cum *Pſal.*15.1, 4, 5. & *Pſal.* 24.4,5. promiſſum ſubintelligitur[u].

* *Job.*13.7,8. *Rom.*3.8. *Job.*36.21. *Heb.*11.25. [x] *Deut.*4.8,9. [y] *Mat.*12.7.

5. Quod Deus prohibet id nullo tempore faciendum eſt*, quod verò præcipit, ſemper quidem tanquam officium nobis incumbit[x]; at unumquódque officium particulare omni tempore præſtare non tenemur[y].

[z] *Mat.*5.21,22, 27, 28. *Mat.*15.4,5,6. *Heb.*10.24,25. 1 *Theſſ.*5.22. *Judæ* v.23. *Gal.*5.26. *Col.*3.21.

6. Sub uno ſeu peccato ſive officio ejuſdem generis omnia aut prohibentur, aut præcipiuntur, unà cum omnibus eorum cauſis, mediis, occaſionibus, ut etiam quæcunque eorum vel ſpeciem habent, cum omnibus eorundem irritamentis[z].

a *Exod.*20.10. *Lev.*19.17. *Gen.*18.19. *Joſh.* 24.15. *Deut.*6.6,7.

7. Quicquid nobis ipſis aut prohibetur aut præcipitur, illud conari tenemur, pro eo ſtatu in quo ſumus conſtituti, ut etiam ab aliis pro illorum ſtatu ac officio aut declinetur aut præſtetur[a].

b 2 *Cor.*1.24.

[c] 1 *Tim.*5.22. *Eph.*5.11.

8. Quicquid aliis præcipitur, in eo pro ratione ſtatûs vocationíſq; noſtræ adjutores iis eſſe debemus[b]; ſummè autem cavere nè cum aliis in iis quæ ipſis prohibentur ſimus participes[c].

Q. *Quæ ſpecialia ſunt nobis in decem præceptis conſideranda?*

R. Conſiderandæ nobis ſunt in decem præceptis cùm præfatio, tum mandati cujusque ſubſtantia; tum etiam denique rationes illæ quæ præceptis nonnullis quò magìs fiant efficacia, ſubnectuntur.

Q. *Quænam eſt præfatio mandatis præmiſſa?*

R. Præfatio mandatis præmiſſa in hiſce verbis continetur [*Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi è terra Ægypti, è domo ſervitutis*[d]] ubi primatum ſuum Deus manifeſtat, ut qui Jehova nempe ſit, æternus, immutabilis, ac omnipotens Deus[e], qui in ſeipſo & à ſeipſo exiſtens[f], verbis[g] operibúsque[h] ſuis omnibus dat exiſtentiam; ſéque Deum eſſe, qui fœdus iniit, prout olim cum Iſraele, ità cum populo ſuo univerſo[i], quique ſicut illos eduxit ex ipſorum in Ægypto ſervitute, ità nos à ſpirituali noſtra ſervitute liberat[k], proindéque teneri nos eum ſolum pro Deo noſtro acceptare, omniáque ejus mandata obſervare[l].

[d] *Exod.* 20.2.
[e] *Iſa.* 44.6.
[f] *Exod.* 3.14.
[g] *Exod.* 6.3.
[h] *Act.* 17.24, 28.
[i] *Gen.* 17.7. cum *Rom.* 3.29
[k] *Luc.* 1.74, 75.
[l] 1 *Pet.* 1.15, 16, 17, 18. *Lev.* 18.30. *Lev.* 19.37.

Q. *Quænam ſumma eſt quatuor man-*

datorum quæ officium noſtrum erga Deum complectantur?

R. Summa quatuor mandatorum quæ officium noſtrum erga Deum complectuntur hæc eſt, ut Dominum nempe Deum noſtrum toto corde, totâ animâ, totis viribus, totâque mente noſtrâ diligamus [m].

[m] *Luc.* 10.27.

Q. *Quodnam eſt mandatum primum?*

R. Mandatum primum hoc eſt [*Non habebis alios Deos coram me* [n].]

[n] *Exod.* 20.3.

Q. *Quænam officia imperantur mandato primo?*

R. Officia quæ mandato primo imperantur hujuſmodi ſunt, cognoſcere & agnoſcere Deum eſſe ſolum verum Deum, Deúmque noſtrum [o]; cúmque ut talem colere & glorificare [p], de ipſo cogitando [q], meditando [r], illum recordando [s], faciendo plurimi [t], honorando [u], adorando [*], eligendo [x], diligendo [y], deſiderando [z], timendóque [a], ei credendo [b], fidendo [c], in eóque ſperando [d], oblectando noſmet [e], exultando [f], pro eo zelando [g],

[o] 1 *Chron.* 28.9. *Deut.* 26.17. *Iſa.* 43.10. *Jer.* 14.22.
[p] *Pſal.* 95.6,7. *Mat.* 4.10.
[q] *Pſal.* 29.2.
[r] *Mal.* 3.16.
[s] *Pſal.* 63.6.
[t] *Eccles.* 12.1.
[t] *Pſal.* 71.19.
[u] *Mal.* 1.6.
[*] *Iſa.* 45.23.
[x] *Joſh.* 24.15,22
[y] *Deut.* 6.5.
[z] *Pſal.* 73.25. [a] *Iſa.* 8.13. [b] *Exod.* 14.31. [c] *Iſa.* 26.4. [d] *Pſal.* 130.7.
[e] *Pſal.* 37.4. [f] *Pſal.* 32.11. [g] *Rom.* 12.11. cum *Num.* 25.11.

cum

cum invocando, laudem ei omnem, gratiáſque tribuendo [h], obedientiam omnem totius hominis ac ſummiſſionem exhibendo [i]; ſtudendo ut ei in omnibus placeamus [k], dolendo ſi quâ re illum offenderimus [l], cúmque ipſo humiliter ambulando [m].

Q. *Quænam ſunt peccata illa quæ in primo hoc mandato prohibentur?*

R. Peccata quæ in primo hoc mandato prohibentur ſunt, Atheiſmus, quo quis Deum aut eſſe negat, aut certè nullum habet [n]: Idololatria, quæ habet aut colit plures Deos uno, aut alium quemvis ſimul cum vero Deo, aut ejus loco [o]: Eundem pro Deo Deóque noſtro vel non habere, vel non profiteri [p]: Cujuſvis illi debiti in hoc mandato imperati omiſſio vel neglectus [q]: eum ignorare [r], aut oblivisci [ſ]; conceptus [t] opinionéſq; [u] falſi, indignæ ac impiæ de ipſo cogitationes [*], audax & curioſa in illius ſecreta inquiſitio [x]: impietas omnis [y], odium Dei [z], amor ſui [a], ſui ſtudium [b], & alia quævis animi noſtri, voluntatis, affectionúmve rebus aliis inordinata

[h] Phil.4.6.
[i] Jer.7.23.
Jac.4.7.
[k] 1 Joh.3.22.
[l] Jer.31.18.
Pſal.119 15.
[m] Mic.6.8.
[n] Pſal.14.1, Epheſ.2.12.
[o] Jer.2. 27,28. cum 1 Theſſ. 1.9.
[p] Pſal.81.11.
[q] Iſa.43. 22, 23,24.
[r] Jer.4.22. Hoſ.4.1,6.
[ſ] Jer 2.32.
[t] Act.17.23, 29.
[u] Iſa 40.18.
[*] Pſal.50.21.
[x] Deut.29.29.
[y] Tit.1.16. Heb.12.16.
[z] Rom.1.30.
[a] 2 Tim.3.2.
[b] Phil.2.21.

ac immoderata applicatio, earúmve à Deo vel totalis vel partialis avocatio[c], credulitas vana[d], infidelitas[e], hæreſis[f], fides erronea[g], diffidentia[h], deſperatio[i], incorrigibilitas[k] ac ſtupiditas ſub judiciis Dei[l], durities cordis[m], ſuperbia[n], præſumptio[o], carnalis ſecuritas[p], tentatio Dei[q], mediorum nonlicitorum uſus[r], in licitis fiducia[ſ], oblectationes & gaudia carnalia[t], zelus corruptus, cœcus, ac imprudens[u]; tepeditas[*] & languor in rebus Dei[x], à Deo abalienatio noſtri, ac apoſtaſia[y]; preces aut cultus quivis religioſus exhibitus ſanctis, Angelis, aut creaturis aliis quibuſcunque[z], pactiones quævis cum diabolo, eum conſulere[a], iíſque, quæ ab illo ſuggeruntur, auſcultare[b], fidei noſtræ & conſcientiæ dominos homines conſtituere[c], Deum ac mandata ejus parvi æſtimare, & contemnere[d]; ſpiritum ejus contriſtare ac impugnare[e], diſpenſationes ejus moleſtè ac impatienter ferre,

[c] *Joh.* 2.15,16. 1 *Sam.* 2.29. *Col.* 3.2,5. [d] 1 *Joh.* 4.1. [e] *Heb.* 3.12. [f] *Gal.* 5.20. *Tit.* 3.10. [g] *Act.* 26.9. [h] *Pſal.* 78.22. [i] *Gen.* 4.13. [k] *Jer.* 5.3. [l] *Iſa.* 42.25. [m] *Rom.* 2.5. [n] *Jer.* 13.15. [o] *Pſal.* 19.13. [p] *Zeph.* 1.12. [q] *Mat.* 4.7. [r] *Rom.* 3.8. [ſ] *Jer.* 17.5. [t] 2 *Tim.* 3.4. [u] *Gal.* 4.17. *Joh.* 16.2. *Rom.* 10.2. *Luc.* 9.54,55. [*] *Apoc.* 3.16. [x] *Apoc.* 3.1. [y] *Ezech.* 14.5. *Iſa.* 1.4,5. [z] *Rom.* 10.13, 14. *Hoſ.* 4.12. *Act.* 10.25,26. *Apoc.* 19.10. *Mat.* 4.10. *Col.* 2.18. *Rom.* 1.25. [a] *Lev.* 20.6. 1 *Sam.* 28.7,11. *cum* 1 *Chron.* 10.13, 14. [b] *Act.* 5.3. [c] 2 *Cor.* 1.24, *Mat.* 23.9. [d] *Deut.* 32.15. 2 *Sam.* 12.9. *Prov.* 13.13. [e] *Act.* 7.51. *Epheſ.* 4.30.

ejuſ-

ejuſdem ſtulta incuſatio ob ea quæ nobis infligit mala[f], laudem boni cujuſvis quod aut ſumus, poſſumus, aut poſſidemus, fortunæ[g], idolis[h], nobiſmet-ipſis[i], aut alii cuicunque creaturæ impertire[k].

Q. *Illa verba in primo mandato* [Coram me] *quid nos præcipuè docent?*

R. Verba iſthæc [*Coram me*] ſive coram facie mea in primo mandato nos docent Deum qui videt omnia, peccatum alium quemvis habendi Deum cùm imprimis advertere, tum verò eo offendi plurimùm; nempe ut argumento ſit quo nos à peccato iſthoc abſterreamur, peccatum verò ipſum ut aggravetur tanquam impudentiſſima provocatio[l], ut nos denique quam ei exhibemus obedientiam, eandem præſtare tanquam in ipſius conſpectu excitemur[m].

Q. *Quodnam eſt ſecundum præceptum?*

R. Secundum præceptum eſt [*Non facies tibi imaginem quamvis ſculptilem, aut ſimilitudinem rei cujuſvis, quæ eſt in cœlis ſupèrne, aut inferiùs in terris,*

[f] *Pſal.* 73.2,3, 14,15,22. *Job.* 1.22.
[g] 1 *Sam.* 6.7, 8, 9.
[h] *Dan* 5.23.
[i] *Deut.* 8.17. *Dan.* 4.30.
[k] *Hab.* 1.16.
[l] *Ezech.* 8.5. ad finem. *Pſal.* 44.20,21.
[m] 1 *Chron.* 28.9.

aut in aquis infra terram; non incurvabis te iis, nec eis ſervies: ſiquidem ego Dominus Deus tuus, Deus ſum Zelotypus, viſitans iniquitates Patrum in filios ad tertiam uſque quartámque progeniem oſorum mei, exhibens verò miſericordiam ad millenas uſque diligentium me, ac mandata mea obſervantium [n].]

[n] Exod. 20. 4, 5, 6.

Q. Quænam ſunt officia quæ in ſecundo præcepto imperantur?

R. Officia quæ in ſecundo præcepto imperantur ſunt cultum religioſum ac inſtituta quæ Deus in verbo ſuo inſtituit recipere, obſervare, pura ac integra conſervare [o]. Cujuſmodi ſunt preces, & gratiarum actio in nomine Chriſti [p]; verbi lectio, prædicatio ac auditio [q]; Sacramentorum adminiſtratio & receptio [r]; Eccleſiæ regimen, ac diſciplina [ſ]; miniſtrorum ordo ac ſtipendia [t]; jejunia religioſa [u]; jurare per nomen Dei *, eique vota nuncupare [x]; prout etiam cultûs omnis falſi improbatio, deteſtatio, ac impugnatio [y]; ejúſque ſimul & monumento-

[o] Deut. 32. 46, 47. Mat. 28. 20. Act. 2. 42. 1 Tim. 6. 13, 14.
[p] Phil. 4. 6. Eph. 5. 20.
[q] Deut. 17. 18, 19. Act. 15. 21. 2 Tim. 4. 2. Jac. 1 21. 22. Act. 10. 33.
[r] Mat. 28. 19. 1 Cor. 11. 2. ad 30.
[ſ] Mat. 18. 15, 16, 17. Mat. 16. 19. 1 Cor. 5. cap. 1 Cor. 12. 28.
[t] Eph. 4. 11, 12. 1 Tim. 5. 17, 18. 1 Cor. 9. 7. ad 15. [u] Joel 2. 12, 13. 1 Cor. 7. 5. * Deut. 6. 13. [x] Iſa. 19. 21. Pſal. 76. 11. [y] Act. 17. 16, 17. Pſal. 16. 4.

rum

rum omnium idololatriæ, pro ea quam unius cujusque ſtatus ac vocatio dederit facultate, extirpatio [z].

Q. *Quænam peccata in ſecundo mandato prohibentur?*

R. Peccata in ſecundo mandato prohibita ſunt, cultûs cujuſvis religioſi à Deo ipſo non inſtituti excogitatio omnis [a], per conſilia promotio [b], injunctio [c], exercitium [d], ac approbatio qualiscunque [e]: religionis falſæ toleratio [f]; fictio cujuſlibet quod Deum repræſentet, aut tres perſonas, vel earum quamlibet, ſeu internè id in animo & mente noſtrâ fiat, ſive externè per modum imaginis cujusvis aut ſimilitudinis creaturæ cujuscunque [g]; omnis ejuſdem cultus [h], aut in eo vel per illud Dei [i]; cujusvis quod ficta numina repræſentet fabricatio [k], omníſque eorum cultus, omniáque quæ ad ea ſpectant officia [l], commenta quæque ſuperſtitioſa [m], cultum Divinum corrumpentia [n], eidem addentia, vel detrahentia [o], ſeu à nobiſmetipſis inventa ac ſuſcepta fuerint [p], ſive traditione ab aliis recepta [q], nomine licèt ac ti-

[z] *Deut.* 7. 5. *Iſa.* 30. 22.
[a] *Num.* 15. 39.
[b] *Deut.* 13. 6, 7, 8.
[c] *Hoſ.* 5. 11. *Mich.* 6. 16.
[d] 1 *Reg.* 12. 33.
[e] *Deut.* 12. 30, 31, 32.
[f] *Deut.* 13. 6. ad 12. *Zech.* 13. 2, 3. *Apoc.* 2. 2, 14, 15, 20. *Apoc.* 17. 12, 16, 17.
[g] *Deut.* 4. 15, 16, 17, 18, 19. *Act.* 17. 29. *Rom.* 1. 21, 22, 23, 25.
[h] *Dan.* 3. 18. *Gal.* 4, 8.
[i] *Exod.* 32. 5, 8.
[k] *Exod.* 32. 8.
[l] 1 *Reg.* 18. 26, 28. *Iſa.* 65. 11.
[m] *Act.* 17. 22. *Col.* 2. 21, 22, 23.
[n] *Mal.* 1. 7, 8, 14.
[o] *Deut.* 4. 2.
[p] *Pſal.* 106. 39.
[q] *Mat.* 15. 9.

r 1 *Pet.* 1. 18. tulo antiquitatis [r], conſuetudinis [ſ], de-
ſ *Jer.* 44. 17. votionis [t], bonæ intentionis, aut alio
t *Iſa.* 65. 3, 4, 5. *Gal.* 1. 13, 14. prætextu quovifcunque [u]; ſimonia [*];
u 1 *Sam.* 13. 11, 12. ſacrilegium [x]; omnis denique cultûs ac
1 *Sam.* 15. 21. officiorum divinorum quæ Deus inſti-
* *Act.* 8. 18. tuit, neglectus [y], contemptus [z], impe-
x *Rom.* 2, 22. *Mal.* 3. 8. ditio [a], aut impugnatio [b].
y *Exod.* 4. 24, 25, 26. z *Mat.* 22. 5. *Ma*'. 1. 7, 13. a *Mat.* 23. 13. b *Act.* 13. 44, 45. 1 *Theſ.* 2. 15, 16.

Q. *Quænam ſunt rationes annexæ ſecundo mandato, quibus nos ad ejus obſervationem magìs impellamur?*

R. Rationes annexæ ſecundo mandato, quibus ad ejus obſervationem magìs impellamur, hiſce verbis comprehenſæ [*Siquidem ego Dominus Deus tuus, Deus ſum Zelotypus, viſitans iniquitates Patrum in filios ad tertiam uſque quartámque progeniem oſorum mei, exhibens verò miſericordiam ad millenas uſque diligentium me, ac mandata mea obſervantium* [c]] ſunt (præter Dei ſupremum in nos Dominium, ac jus noſtri peculiare [d]) fervens ejus pro cultu ſuo Zelus [e], vindex adverſùs cultum quemvis falſum indignatio, tanquam

c *Exod.* 20. 5, 6.
d *Pſal.* 45. 11. *Apoc.* 15. 3, 4.
e *Exod.* 34. 13, 14.

tanquam ſpirituale quoddam adulterium [f]; tum etiam quod hujuſce mandati violatores habeat Deus pro ipſius oſoribus, in eóſque ſe per varias progenies animadverſurum interminetur [g], ejus autem obſervatores habeat pro amicis ſuis ac mandatis ipſius obtemperantibus, ac miſericordiam iis per multas generationes polliceatur [h].

Q. *Quodnam eſt mandatum tertium?*

R. Mandatum tertium eſt [*Nomen Domini Dei tui inaniter non uſurpabis; non enim eum pro inſonte habebit Dominus qui nomen ejus inaniter adhibuerit* [i]]

Q. *Quid autem exigitur in mandato tertio?*

R. Tertium mandatum à nobis exigit ut Dei nomen, tituli, attributa [k], inſtituta [l], ut verbum [m], ſacramenta [n], preces [o], juramenta [p], vota [q], ſortes [r], ut opera ipſius [ſ], & quicquid demum ſit quo ſe notum facit, ſanctè ac reverenter, in cogitatione [t], meditatione [u], verbo [*], ſcriptione [x], adhibeantur, & quidem per profeſſionem ſanctam [y],

[f] 1 *Cor.* 10. 20, 21. 22. *Jer*, 7. 18, 19, 20. *Ezech.* 16. 26, 27. *Deut.* 32. 16, 17, 18, 19, 20.
[g] *Hoſ.* 2. 2, 3, 4.
[h] *Deut.* 5. 29.
[i] *Exod.* 20. 7.
[k] *Matt.* 6. 9. *Deut.* 28. 58. *Pſal.* 29. 2. *Pſal.* 68. 4. *Apoc.* 15. 3, 4.
[l] *Mal.* 1. 14. *Eccleſ.* 5. 1.
[m] *Pſal.* 138. 2.
[n] 1 *Cor.* 11. 24, 25, 28, 29.
[o] 1 *Tim.* 2. 8.
[p] *Jer.* 4. 2.
[q] *Eccleſ.* 5. 2, 4, 5, 6. [r] *Act.* 1. 24, 26. [ſ] *Job.* 36. 24. [t] *Mal.* 3. 16. [u] *Pſal.* 8. per totum, [*] *Col.* 3. 17. *Pſal.* 105. 2, 5. [x] *Pſal.* 102. 18. [y] 1 *Pet.* 3. 15. *Mich.* 4. 5.

&

& converſationem idoneam [z], ad Dei gloriam [a], ac bonum tam noſtrum [b], quàm aliorum [c].

Q. *Quænam peccata ſunt prohibita in tertio mandato?*

R. Peccata in tertio mandato prohibita ſunt, neglectus utendi Divino nomine eo quo requiritur modo [d], atq; abuſus ejuſdem ignorante [e], vanâ [f], minùs reverente, profanâ [g], ſuperſtitioſâ [h], ac impiâ mentione, aut alio uſu, titulorum ejus, attributorum [i], inſtitutorum [k], operúmve [l]; blaſphemiâ [m]; perjurio [n]; Impiæ execrationes [o], impia juramenta [p], vota [q], ac ſortilegia [r], quæviſcunque; juramentorum noſtrorū votorúmq; quæ licita ſunt violatio [ſ], quæ de rebus non licitis obſervatio, [t] adverſùs Dei decreta [u], & providentiam [*] obmurmuratio, aut expoſtulatio [*]; eadem curioſè rimari [y], & perverſè applicare; verbum Dei aut partem ejus aliquam perperam interpretari [z], malè applicare [a], aut quovis modo perver-

[z] Phil. 1. 27.
[a] 1 Cor. 10. 31.
[b] Jer. 32. 39.
[c] 1 Pet. 2. 12.

[d] *Mal.* 2. 2.
[e] *Act.* 17. 23.
[f] Prov. 30. 9.
[g] *Mal* 1. 6, 7, 12. *Mal.* 3. 14.
[h] 1 Sam. 4. 3, 4, 5. *Jer.* 7. 4, 9, 10, 14, 31. *Col.* 2. 20, 21, 22
[i] 2 *Reg.* 18. 30, 35. *Exod.* 5. 2. *Pſal.* 139. 20.
[k] Pſal. 50. 16, 17
[l] *Iſa.* 5. 12.
[m] 2 *Reg.* 19. 22. *Lev.* 24. 11.
[n] *Zech.* 5. 4. *Zech.* 8. 17.
[o] 1 *Sam.* 17. 43. 2 *Sam.* 16. 5.
[p] *Jer.* 5, 7. *Jer.* 23. 10.
[q] 23. 18. *Act.* 23. 12, 14.
[r] *Eſth.* 3. 7. *Eſth.* 9. 24. *Pſal.* 22. 18.
[ſ] *Pſal.* 24. 4. *Ezech.* 17. 16 18, 19.
[t] *Mar.* 6. 26. 1 *Sam.* 25. 22, 32, 33, 34.
[u] *Rom.* . 5, 7. *Rom.* 6. 1.
[*] *Eccleſ.* 8. 11. *Eccl.* 9. 3. *Pſal.* 39. per totum.
[x] *Rom.* 9. 14, 19, 20.
[y] *Deut.* 29 29.
[z] *Matt.* 5. 21. ad finem.
[a] *Ezech.* 13. 22.

tere [b].

tere [b], ad jocos profanos [c], ad quæſtiones curioſas ac inutiles, ad altercationes vanas, aut falſæ Doctrinæ defenſionem [d]. Verbi Dei abuſus, vel creaturarum, aut rei cujuſvis ſub nomine Dei comprehenſæ, ad incantamenta [e], aut nefarias ſeu libidines ſive actiones [f]; malevolentiâ [g], contemptu [h], contumeliâ [i], aut quovis modo impugnare veritatem, gratiam, viáſque Dei [k]; religionis profeſsio hypocritica, aut in alium quàm par eſt finem [l], eam pro dedecore habere [m], eive eſſe dedecori; abſque ſolatio [n], imprudenter [o], infructuosè [p], ac cum offenſione ambulando [q], vel apoſtaſiâ ab eadem [r].

[b] 2 *Pet.* 3.16. *Matt.* 22.24. ad 31. [c] *Iſa.* 22.13. *Jer.* 23.34, 36, 38. [d] 1 *Tim.* 1.4, 6, 7. 1 *Tim.* 6.4, 5, 20. 2 *Tim.* 2. 14. *Tit.* 3.9. [e] *Deut.* 18.10, 11, 12, 13, 14. *Act.* 19.13. [f] 2 *Tim.* 4.3, 4. *Rom.* 13.13, 14. 1 *Reg.* 21.9, 10. *Judæ* v. 4. [g] *Act.* 13.16. 1 *Joh.* 3.12. [h] *Pſal.* 1.1. 2 *Pet.* 3.3. [i] 1 *Pet.* 4.4. [k] *Act.* 13.45, 46, 50. *Act.* 4.18. *Act.* 19.9. 1 *Theſ.* 2.16. *Heb.* 10.29. [l] 2 *Tim.* 3.5. *Matt.* 23.14. *Matt.* 6.1, 2, 5, 16. [m] *Marc.* 8 38. [n] *Pſal.* 73.14, 15. [o] 1 *Cor.* 6.5, 6. *Eph.* 5.15, 16, 17. [p] *Iſa.* 5.4. 2 *Pet.* 1, 8, 9. [q] *Rom.* 2.23, 24. [r] *Gal* 3.1, 3. *Heb.* 6.6.

Q. *Quænam ſunt rationes annexæ tertio mandato?*

R. Rationes tertio mandato in hiſce verbis annexæ [*Domini Dei tui*] illiſque [*Non enim eum pro inſonte habebit Dominus qui nomen ejus inaniter adhibuerit* [f]] ſunt, quoniam is Dominus eſt,

[f] *Exod.* 20.7.

eſt, noſtérque Deus; proindéque nomen ejus profanare, cóve quovis modo abuti non debemus[t], præſertim quoniam tantùm abeſt ut ille hujus mandati tranſgreſſores abſolvat eiſve parcat, ut juſtum ejus judicium minimè eos effugere paſſurus ſit[u], hominum cenſuras ac ſupplicia multi licèt eorum ſubterfugiant[*].

[t] *Lev.* 19. 12.
[u] *Ezech.* 36.21, 22, 23. *Deut.* 28. 58, 59. *Zech.* 5.2, 3, 4.
[*] 1 *Sam.* 2. 12, 17, 22, 24. cum 1 *Sam.* 3. 13.

Q. *Quodnam eſt mandatum quartum?*

R. Mandatum quartum eſt [*Memineris diem ſabbati ut ſanctifices eum; ſex diebus operaberis, & facies omne opus tuum, ſeptimus verò dies ſabbatum Domini Dei tui, opus in eo nullum facies tu, neque filius tuus, neque filia tua, nec ſervus tuus, nec ancilla tua, neque jumentum tuum, nec hoſpes tuus quicunq; intra portas tuas commoratur: Nam ſex diebus perfecit Dominus cælum, terrámque, mare, & quicquid in illis continetur, ſeptimo verò die requievit, quamobrem benedixit Dominus diei ſabbati, eúmque ſanctificavit*[x].]

[x] *Exod.* 20 8, 9, 10, 11.

Q. *Quid exigitur in quarto mandato?*

R. Quartum

R. Quartum mandatum ab omnibus exigit ſanctificationem ſive ſanctam Deo obſervationem temporis illius definiti quod ipſe in verbo ſuo deſignavit, nominatim è ſeptenis diebus unum integrum, qui à mundi primordiis uſque ad reſurrectionem Chriſti dies erat ſeptimus; exinde autem dies ſeptimanæ primus ad finem uſque mundi obſervandus. Qui Chriſtianum ſabbatum eſt [y], ac in N.T. dicitur *dies Dominicus* [z].

[y] *Deut.* 5. 12, 13, 14. *Gen.* 2. 2, 3. 1 *Cor.* 16. 1, 2. *Act.* 20. 7. *Matt.* 5. 17, 18. *Iſa.* 56. 2, 4, 6, 7.
[z] *Apoc.* 1. 10.

Q. *Quomodo ſanctificandum eſt ſabbatum, ſive dies Dominicus?*

R. Sanctificandum eſt ſabbatum ſive dies Dominicus ſanctâ per totum diem quiete[a], non tantùm ab ejuſmodi operibus quæ quovis tempore ſunt illicita; verùm etiam ab ejuſmodi negotiis mundanis ac recreationibus quæ aliis diebus ſunt licita[b]; quinetiam hoc habendo in deliciis, totum illud tempus (niſi quod ad opera neceſſitatis ac miſericordiæ requiritur [c]) in exercitiis divini cultûs publicis privatíſque inſumendo [d]; quem in finem corda nobis ſunt præparanda, ac eâ providentiâ, diligentiâ

[a] *Exod.* 20. 8, 10.
[b] *Exod.* 16. 25, 26, 27, 28. *Neh.* 13. 15, 16, 17, 18, 19, 21, 22. *Jer.* 17. 21, 22.
[c] *Matt.* 12. 1. ad 13.
[d] *Iſa.* 58. 13. *Luc.* 4. 16. *Act.* 20. 7. 1 *Cor.* 16. 1, 2. *Pſal.* 92. Tit. *Iſa.* 66. 23. *Lev.* 23. 3.

diligentiâ, & moderatione diſponenda ſunt, ac tempeſtivè conficienda mundana negotia; ut magìs expediti ſimus ac idonei illius diei officiis præſtandis [e].

[e] *Exod.* 20. 8. *Luc.* 23. 54, 56. *Exod.* 16. 22, 25, 26, 29. *Neh.* 13. 19.

Q. *Cur ad patres familiarum, reliquósque ſuperiores præcipuè dirigitur mandatum de obſervando ſabbato?*

R. Mandatum de ſabbato obſervando præcipuè dirigitur ad Patresfamiliarum reliquósque ſuperiores, eò quòd non ſolùm ipſi teneantur id obſervare, verùm etiam curare ut ab illis omnibus qui ſubduntur ipſorum regimini, ſimiliter obſervetur, & quoniam proclives ſunt eos quibus imperant ſuis negotiis impedire quò minùs id faciant [f].

[f] *Exod.* 20. 10. *Joſh.* 24. 15. *Neh.* 13. 15, 17. *Jer.* 17. 20, 21, 22. *Exod.* 23. 12.

Q. *Quænam ſunt peccata prohibita in quarto mandato?*

R. Peccata prohibita in quarto mandato ſunt officiorum quæ inibi exiguntur omiſſio quælibet [g], omníſq; eorum oſcitans, negligens, & inutilis præſtatio, eorúmque tædium [h]; omnis illius diei profanatio, ſeu otio, ſive agendo quod in ſe malum eſt [i], ſive operibus

[g] *Ezech.* 22. 26. [h] *Act.* 20. 7, 9. *Ezech.* 33. 30, 31, 32. *Amos* 8. 5. *Mal.* 1. 13. [i] *Ezech.* 23, 38.

operibus, dictis, cogitationibus circa res mundanas ac recreationes non neceſſariis [k]. [k] Jer. 17.24,27. Iſa. 58.13.

Q. *Quænam ſunt rationes ſubjunctæ quarto mandato, quibus ad ejuſdem obſervationem vehementiùs urgeamur?*

R. Rationes annexæ quarto mandato, quibus ad ejuſdem obſervationem vehementiùs urgeamur, deſumptæ ſunt ab illius æquitate, ſex dies è ſeptem nobis & rebus noſtris permittente Deo, ſibi verò ipſi unicum reſervante, in his verbis [*Sex diebus operaberis & facies omne opus tuum* [l].] à Dei peculiaris ſibi in eo die proprietatis vendicatione [*Dies ſeptimus ſabbatum eſt Domini Dei tui* [m]] ab exemplo Dei, qui [*Sex Diebus perfecit cœlum, terrámque, mare, & quicquid in illis continetur, ſeptimo verò die requievit*] atque à benedictione quam diei illi impertivit Deus, non ſolùm illum conſecrando ut dies foret ipſius cultui peculiaris, verùm ordinando ut medium foret benedicendi nobis eundem ſanctificantibus [*quamobrem benedixit Dominus diei ſabbati, eúmque ſanctificavit* [n].] [l] Exod. 20. 9. [m] Exod. 20. 10. [n] Exod. 20. 11.

Q. *Quare*

Q. *Quare ponitur in principio mandati quarti vox* [Memineris ?]

R. Vox [*Memineris*] ponitur in principio mandati quarti [o], partim propter ſummum ex illius recordatione beneficium, quandoquidem exinde plurimum adjuvamur in præparatione noſtra ad ipſum obſervandum [p], atque ex ejus obſervatione ad reliqua mandata omnia meliùs obſervanda [q], ſimul & gratâ memoriâ ſumma illa beneficia creationis ac redemtionis conſervanda, quæ totam religionem compendio quaſi complectuntur [r]; partim etiam quoniam proni ſumus in illius oblivionem [ſ], eò quòd cùm minùs hoc à nobis exigat naturale lumen [t], tum libertatem naturalem minuat in rebus aliàs non illicitis [u]; quódque ſemel tantùm ſeptenis diebus recurrat, multáque negotia mundana interveniant quæ mentes noſtras nimiùm ſæpe abstrahunt quo minùs vel de noſtrî ad illum præparatione, vel de celebratione ejuſdem cogitemus [*]; Denique quòd Satanas ejúsq; adminiſtri hujuſce diei gloriam, ac vel etiam memoriam delere

[o] *Exod.* 20. 8.
[p] *Exod.* 16. 23. *Luc.* 23. 54, 56. cum *Marc.* 15. 42. *Neh.* 13. 19.
[q] *Pſal.* 92. Tit. cum verſ. 13, 14. *Ezech.* 20. 12, 19, 20.
[r] *Gen.* 2. 2, 3. *Pſal.* 118. 22, 24. cum *Act.* 4. 10, 11. *Apoc.* 1. 10.
[ſ] *Ezech.* 22. 26.
[t] *Neh.* 9. 14.
[u] *Exod.* 34. 21.
[*] *Deut.* 5. 14, 15. *Amos* 8. 5.

re

re plurimùm annitantur, nempe quò irreligionem omnem, ac impietatem introducant [x]. [x] *Lam.* 1. 7. *Jer.* 17. 21, 22, 23. *Neh.* 13. 15, ad 23.

Q. *Quænam eſt ſumma ſex mandatorum quæ officium noſtrum erga homines complectuntur?*

R. Sex mandatorum quæ officium noſtrum erga homines complectuntur hæc ſumma eſt, nempe ut proximum noſtrum perinde atque noſmet ipſos diligamus [y], idémque aliis faciamus, quod nobis ab eis factum vellemus [z]. [y] *Matt.* 22. 39. [z] *Matt.* 7. 12.

Q. *Quodnam eſt mandatum quintum?*

R. Quintum mandatum eſt [*Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut prolongentur dies tui in terra illa quam tibi largitur Dominus Deus tuus* [a].] [a] *Exod.* 20. 12.

Q. *Quinam Patris ac Matris nomine in quinto mandato ſignificantur?*

R. Patris ac Matris nomine in quinto mandato ſignificantur non ſolùm Parentes naturales [b], verùm etiam ſuperiores omnes, ſeu ætate [c], ſive donis [d], tum verò imprimis illi qui nobis munere vel authoritate ex ordinatione Divina præſunt, ſive in familia [e], ſive [b] *Prov.* 23. 22, 25. *Eph.* 6. 1, 2. [c] 1 *Tim.* 5. 1, 2. [d] *Gen.* 4. 20, 21, 22. *Gen.* 45. 8. [e] 2 *Reg.* 5. 13.

f 2 Reg. 2. 12. 2 Reg. 13. 14. Gal. 4. 19. g Iſai. 49. 23.

in Eccleſia [f], ſive in republica [g].

Q. *Quamobrem verò ſuperiores Pater ac Mater nuncupantur?*

R. Superiores Pater ac Mater nuncupantur, cùm ut intelligant illi debere ſe in omnibus erga inferiores ſuos officiis parentum naturalium amorem ac indulgentiam imitari, habitâ tamen relationis ratione [h]: tum ut inferiores indè ad officia ſua majore cum promptitudine & alacritate ſuperioribus ſuis tanquam parentibus præſtanda inducantur [i].

h Eph. 6. 4. 2 Cor. 12. 14. 1 Theſ. 2. 7, 8, 11. Numb. 11. 11, 12. i 1 Cor. 4. 14, 15, 16. 2 Reg. 5. 13.

Q. *Quis eſt mandati quinti generalis ſcopus?*

R. Mandati quinti ſcopus generalis eſt illorum officiorum præſtatio ad quæ pro variis relationibus noſtris tenemur mutuò, quatenus inferiores ſumus, ſuperiores, aut æquales [k].

k Eph. 5. 21. 1 Pet. 2. 17. Rom. 12. 10.

Q. *Quis ſuperioribus ab inferioribus debetur honos?*

R. Honos qui ſuperioribus debetur ab inferioribus eſt, debita imprimis corde [l], verbis [m], geſtúque [n], reverentia, deinde pro iis preces & gratiarum actio [o], virtutum & gratiarum quæ in eis

l Mal. 1. 6. Lev. 19. 3. m Prov. 31. 28. 1 Pet. 3. 6. n Lev. 19. 32. 1 Reg. 2. 19. o 1 Tim. 2. 1, 2.

eis conſpiciuntur imitatio [p], ut etiam prompta in rebus licitis eorum mandatis & conſiliis obedientia [q]; & correctionibus eorum ſubmiſſio debita [r]; quin & eorum cùm perſonarum tum authoritatis defenſio [ſ], ſuſtentatio ac propugnatio, & erga utraſque fidelitas [t]; pro cujuſque ordine & ſtatûs in quo fuerit conditione [u]; eorúmque infirmitatum toleratio, atq; in charitate diſſimulatio [*]; adeò quidem ut cùm eis tum eorum regimini honori eſſe poſſint [x].

[p] Heb. 13. 7. Phil. 3. 17. [q] Eph. 6. 1, 2, 5, 6, 7. [r] Pet. 2. 13, 14. Rom. 13. 1, 2, 3, 4, 5. Heb. 13. 17. Prov. 4. 3, 4. Prov. 23. 22. Exod. 18. 19, 24. [r] Heb. 12. 9. 1 Pet. 2. 18, 19, 20. [ſ] 1 Sam. 26. 15, 16. 2 Sam. 18. 3. Eſth. 6. 2.

[t] Tit. 2. 9, 10. [u] Matt. 22. 21. Rom. 13. 6, 7. 1 Tim. 5. 17, 18. Gal. 6. 6. Gen. 45. 11. Gen. 47. 12. [*] 1 Pet. 2. 18. Prov. 23. 22. Gen. 9. 23. [x] Pſal. 127. 3, 4, 5. Prov. 31. 23.

Q. *Quænam ſunt inferiorum in ſuperiores ſuos peccata?*

R. Peccata inferiorum in ſuperiores ſuos ſunt, officiorum iis debitorum neglectus quilibet [y]; invidia [z], contemptus [a], & rebellio [b] adversùs ipſorum ſeu perſonas [c], ſive munera [d], in licitis eorum conſiliis [e], mandatis, & correctionibus [f]; eorum execratio, deriſio [g], atque ejuſmodi omnis ſcan-

[y] Matt. 15. 4, 5. [z] Numb. 11. 28, 29. [a] 1 Sam. 8. 7. Iſai. 3. 5. [b] 2 Sam. 15. 1, ad 12. [c] Exod. 21. 15. [d] 1 Sam. 10. 27. [e] 1 Sam. 2. 25. [f] Deut. 21. 18, 19, 20, 21. [g] Pro. 30. 11, 17

dali plena converſatio, quæ ipſis eorúmque regimini probro ſit ac dedecori[h].

Q. *Quid verò ſuperiores inferioribus præſtare tenentur?*

R. A ſuperioribus exigitur ut, pro illa quam à Deo acceperunt poteſtate, & relatione in qua ſunt conſtituti, inferiores ſuos diligant[i], pro eis orent[k], eíſque benedicant[l]; ut eos inſtruant[m], conſilio dirigant, ac admoneant[n], bene quidem merentes ut favore complectantur[o], laudent[p], ac remunerentur[q]; malè verò agentes ut rejiciant[r], reprehendant, caſtigéntque[s]; ut protegant eos[t], omniáque iis procurent quæcunque ſunt animæ[u] aut corpori[*] neceſſaria, útque graviter, prudenter, ſanctè & exemplariter ſe gerendo Deo gloriam[x], ſibimet ipſis honorem concilient[y], adeóque eam quâ Deus illos induit authoritatem tueantur[z].

Q. *Quænam ſunt peccata ſuperiorum?*

R. Superiorum peccata (præter neglectum eorum quæ ab illis exiguntur

tur

h *Prov.* 19. 26.

i *Col.* 3. 19. *Tit.* 2. 4.
k 1 *Sam.* 12. 23. *Job.* 1. 5.
l 1 *Reg.* 8. 55, 56. *Heb.* 7. 7. *Gen.* 49. 28.
m *Deut.* 6. 6, 7.
n *Eph.* 6. 4.
o 1 *Pet.* 3. 7.
p 1 *Pet.* 2. 14. *Rom.* 13. 3.
q *Esth.* 6. 3.
r *Rom.* 13. 3, 4.
s *Prov.* 29. 15. 1 *Pet.* 2. 14.
t *Job.* 29. 12, 13, 14, 15, 16, 17. *Iſa.* 1. 10, 17.
u *Eph.* 6. 4.
* 1 *Tim.* 5. 8.
x 1 *Tim.* 4. 12. *Tit.* 2. 3, 4, 5.
y 1 *Reg.* 3. 28.
z *Tit.* 2. 15.

tur officiorum [a]) ſunt, ſeipſos [b] h. e. ſuam ipſorum gloriam [c], otium, lucrum, aut voluptatem [d] inordinatè appetere; jubere quæ ſunt illicita [e], aut quæ ab inferioribus præſtari nequeunt [f], eis ut malè agant conſulere [g], vel malè agentibus animos facere [h] ac favere [i]; dehortari ac deterrere à bene agendo, bene autem agentes malè tractare [k]; eos indebitè caſtigare [l], injuriæ, tentationi, ac periculo negligenter eos aut exponere aut permittere [m]; provocare ad iram [n]; aut quocunque modo ſemetipſos dehoneſtare, autoritatémque ſuam imminuere, injuſtè, imprudenter, acerbè, vel remiſsè ſe gerendo [o].

[a] *Ezech.* 34. 2, 3, 4. [b] *Phil.* 2. 21. [c] *Joh.* 5. 44. *Joh.* 7. 18. [d] *Iſa.* 56. 10, 11. *Deut.* 17. 17. [e] *Dan.* 3. 4, 5, 6. *Act.* 4. 17, 18. [f] *Exod.* 5. 10, ad 18. *Mat.* 23. 2, 4 [g] *Matt.* 14. 8. cum *Mar.* 6. 24. [h] 2 *Sam.* 13. 28. [i] 1 *Sam.* 3. 13. [k] *Joh.* 7. 46, 47, 48, 49. *Col.* 3. 21. *Exod.* 5. 17. [l] 1 *Pet.* 2. 18, 19, 20. *Heb* 12. 10. *Deut.* 25. 3. [m] *Gen.* 38. 11, 26. *Act.* 18. 17. [n] *Eph.* 6. 4. [o] *Gen.* 9. 21. 1 *Reg.* 12, 13, 14, 15, 16. 1 *Reg* 1. 6. 1 *Sam.* 2. 29, 30, 31.

Q. *Quænam ſunt æqualium officia?*

R. Officia æqualium ſunt dignitatis ac valoris ſui invicem rationem habere [p]; honorem tribuendo alterum alteri antecellere [q]; de alterius donis aut profectu tanquam de propriis gaudere mutuó [r].

[p] 1 *Pet.* 2. 17. [q] *Rom.* 12. 10. [r] *Rom.* 12. 15, 16. *Phil.* 2. 3, 4.

Q. *Quænam ſunt æqualium peccata?*

R. Æqualium peccata ſunt (præter neglectum eorum quæ ab iis exiguntur officiorum [f]) alterius invicem dignitatem parvi facere [t], donis invidere, [u], de auctis honoribus, aut proſperitate dolore affici [*], ſuperioritatem in ſe invicem uſurpare [x].

[f] Rom. 13. 8.
[t] 2 Tim. 3. 3.
[u] Act. 7. 9. Gal. 5. 26.
[*] Num. 12. 2. Eſth. 6. 12, 13.
[x] 3 Joh. v. 9. Luc. 22. 24.

Q. *Quænam eſt ratio quintò mandato annexa, quâ magis nos ad ejus obſervationem urgeamur?*

R. Ratio annexa quinto mandato in hiſce verbis [*Ut prolongentur dies tui in terra illa quam tibi largitur Dominus Deus tuus* [y]] eſt, quâ longævitas, ac proſperitas diſertè promittitur omnibus hoc mandatum obſervantibus, quatenus nempe Dei gloriæ, eorúmq; bono conducant [z].

[y] Exod. 20. 12.
[z] Deut. 5. 16. 1 Reg. 8. 25. Eph. 6. 2, 3.

Q. *Quodnam eſt mandatum ſextum?*

R. Mandatum ſextum eſt [*Non occides* [a].]

[a] Exod. 20. 13.

Q. *Quæ autem ſunt officia in ſexto mandato imperata?*

R. Officia in ſexto mandato imperata

perata ſunt, ſtudia quæque ſedula licitíque conatus vitam noſtram [b] aliorúmque [c] conſervandi; omnibus cùm cogitationibus tum deſtinationibus obſiſtendo [d], paſſiones ſubjugando [e]; occaſiones [f], tentationes [g], actionésque omnes declinando, quæcunque eò tendunt ut vitâ ſuâ quiſpiam injuſtè privetur [h]; prout etiam juſtâ ejuſdem adversùs vim defenſione [i], patiente manûs Divinæ perpeſſione [k], animi tranquillitate [l], cordis alacritate [m], cibi [n], potûs [o], medicinæ [p], ſomni [q], laboris [r], ac recreationum [ſ] uſu ſobrio, cogitationibus benignis [t], dilectione [u], miſericordiâ [*], manſuetudine, lenitate, benignitate [x], dictis, ac moribus placidis [y], mitibus, comibúsque [z], longanimitate, facilitate redeundi in gratiam, injuriarum patiente tolerantiâ & condonatione, boni pro malo retributione [a], afflictorum levatione, & ſublevatione, tuitione ac defenſione innocentum [b].

[b] *Eph.* 5.28,29.
[c] 1 *Reg.* 18.4.
[d] *Jer.* 26.15,16. *Act.* 23.12,16, 17,21,27.
[e] *Eph.* 4.26,27.
[f] 2 *Sam.* 2.22. *Deut.* 22. 8.
[g] Matt. 4.6,7. *Prov.* 1.10,11, 15, 16.
[h] 1 *Sam.* 24.12. 1 *Sam.* 26. 9, 10, 11. *Gen.* 37.21,22.
[i] *Pſal.* 82.4. Prov. 24.11,12. 1 *Sam.* 14.45.
[k] *Jac.* 5.7,8.9, 10, 11. *Heb.* 12. 9.
[l] 1 *Theſ.* 4.11. 1 *Pet.* 3. 4. *Pſal.* 37. 8, 9, 10, 11.
[m] Prov. 17. 22.
[n] *Prov.* 25.16, 17.
[o] 1 *Tim.* 5.23.
[p] *Iſai.* 38. 21.
[q] Pſal. 127. 2.
[r] Eccleſ. 5. 12. 2 *Theſ.* 3.10,12 Prov. 16. 26.
[ſ] Eccleſ. 3.4,11. [t] 1 *Sam.* 19.4,5. 1 *Sam.* 22.13,14. [u] *Rom.* 13.10. [*] *Luc.* 10.33,34,35. [x] *Col.* 3.12,13. [y] *Jac.* 3. 17. [z] 1 Pet. 3.8,9,10,11. Prov. 15.1. *Judic.* 8.1,2,3. [a] Matt. 5.24. Eph. 4.2, 2. *Rom.* 12.17,20, 21. [b] 1 *Theſ.* 5.14, *Job.* 31.19,20. Matt. 25.35,36. *Prov.* 31. 8, 9.

Q. *Quænam ſunt peccata in ſexto mandato vetita?*

R. Peccata vetita in ſexto mandato ſunt, quælibet vitæ ademptio ſeu noſtræ [c], ſive alienæ [d], extra tamen rationem juſtitiæ publicæ [e], belli legitimi [f], ac defenſionis neceſſariæ [g]; licitorum ac neceſſariorum vitæ mediorum neglectus aut ſubductio [h], ira mala [i], odium [k], invidia [l], vindictæ cupiditas [m], omnes paſſionum exceſſus [n], curæ anxiæ [o], cibi, potûs [p], laboris [q], recreationum [r] uſus immoderatus; dicta provocantia [ſ], oppreſſio [t], litigatio [u], percuſſio, vulneratio [*], & quicquid deniq; conferre quoquo modo poſſit ad vitam cujuſpiam deſtruendam [x].

[c] *Act.* 16. 28.
[d] *Gen.* 9. 6.
[e] *Num.* 35. 31, 33.
[f] *Jer.* 48. 10. *Deut.* 20. cap.
[g] *Exod.* 22. 2, 3.
[h] *Matt.* 25. 42, 43. *Jac.* 2. 15, 16. *Eccleſ.* 6. 1, 2.
[i] *Matt.* 5. 22.
[k] 1 *Joh.* 3. 15. *Lev.* 19. 17.
[l] *Prov.* 14. 30.
[m] *Rom.* 12. 19.
[n] *Eph.* 4. 31.
[o] *Mat.* 6. 31, 34.
[p] *Luc.* 21. 34. *Rom.* 13. 13.
[q] *Eccleſ.* 12. 12. *Eccleſ.* 2. 22, 2[illegible].
[r] *Iſa.* 5. 12.
[ſ] *Prov.* 15. 1. *Prov.* 12. 18.
[t] *Ezech.* 18. 18. *Exod.* 1. 14.
[u] *Gal.* 5. 15. *Prov.* 23. 29.
[*] *Num.* 35. 16, 17, 18, 21.
[x] *Exod.* 21. 18. ad finem.

Q. *Quodnam eſt mandatum ſeptimum?*

R. Mandatum ſeptimum eſt [*Non mœchaberis* [y].]

[y] *Exod.* 20. 14.

Q. *Quænam verò ſunt officia in ſeptimo mandato imperata?*

R. Officia

R. Officia ſeptimo mandato imperata ſunt corporis, mentis, affectuum[z], verborum[a], geſtuúmque[b], caſtitas; ejúſque in nobis ipſis ac in aliis conſervatio[c], oculorum ſenſuúmq; omnium vigil cuſtodia[d], temperantia[e], inter caſtos verſari[f], in veſtitu modeſtia[g], conjugium continentiæ donum non habentium[h], conjugalis amor[i], ac cohabitatio[k]; in vocationibus labor diligens[l], occaſionum omnium impuritatis fuga, ac tentationum eò tendentium reſiſtentia[m].

[z] 1 *Theſſ*.4.4. *Job*.31.1. 1 *Cor*.7.34. [a] *Col*.4.6. [b] 1 *Pet*.3. 2. [c] 1 *Cor*.7.2,35, 36. [d] *Job*.31.1. [e] *Act*.24.24, 25. [f] *Prov*.2.16. ad 21. [g] 1 *Tim*.2.9. [h] 1 *Cor*.7,2,9. [i] *Prov*.5.19, 20. [k] 1 *Pet*.3. 7. [l] *Prov*.31.11,27,28. [m] *Prov*. 5.8. *Gen*.39.8,9,10.

Q. *Quæ ſunt peccata prohibita in mandato ſeptimo?*

R. Peccata in mandato ſeptimo prohibita ſunt, cùm neglectus officiorum quæ exiguntur[n], tum etiam adulterium, fornicatio[o], raptus, inceſtus[p], ſodomia, ac lubidines omnes non naturales[q]; impuræ quæque imaginationes, cogitationes, intentiones, affectionéſque[r]; corrupta omnia turpiáque colloquia, eíſve auſcultatio[ſ], oculorum laſcivia[t], geſtus impudens levíſque, veſtitus

[n] *Prov*.5.7. [o] *Heb*.13.4. *Gal*.5.19. [p] 2 *Sam*.13. 14. 1 *Cor*.5.1. [q] *Rom*.1.24, 26,27. *Lev*.20 15, 16. [r] *Mat*.5.28. *Mat*.15.19. *Col*.3.5. [ſ] *Eph*.5.3,4. *Prov*.7.5,21, 22. [t] *Iſa*. 3.16. 2 *Pet*. 2.14.

veſtitus immodeſtus[u], conjugiorum licitorum prohibitio *, illicitorum diſpenſatio [x], proſtibulorum approbatio, toleratio, exercitium, eorundémque frequentatio [y]; vota cœlibatûs illaqueantia [z], matrimonii dilatio indebita [a], polygamia, quâ plures habet aut vir uxores, aut fœmina maritos eodem tempore [b], injuſtum divortium [c], aut deſertio injuſta [d], otium, gula, ebrietas [e], conſortii impudici uſus [f], ut & laſcivarum cantionum, librorum, picturarum, ſaltationum, ludorum ſcenicorum [g], omnium denique quæ impudicitiæ motus excitare in nobis aliísve poſſint, omnésque impudicitiæ actus [h].

[u] Prov.7.10,13
* 1 *Tim.* 4.3.
[x] *Lev.*18.1. ad 21. *Marc.* 6.18. *Mal.*2.11, 12.
[y] 1 *Reg.* 15,12. 2 Reg. 23.7. *Deut.*23:17,18. *Lev.*19.29. *Jer.*5.7. Prov.7.24,25, 26,27.
[z] *Matt.*19.10, 11.
[a] 1*Cor.*7.7,8,9. *Gen.*38.26,
[b] *Mal.*2.14,15. *Mat.*19.5.
[c] *Mal.*2.16. *Mat.*5. 32.
[d] 1*Cor.*7.12,13
[e] *Ezech.*16.49. Prov.23.30, 33.
[f] *Gen.*39.10. Prov.5.8. [g] Eph. 5.4. *Ezech*,23.14,15,16. *Iſa.*23.15, 16,17. *Iſa.*3.16. *Marc.*6.22. *Rom.*13.13. 1 Pet.4.3. [h] 2 *Reg.*9.30. cum *Jer.*4.30. & *Ezech.*23.40.

Q. *Quodnam eſt mandatum octavum?*

R. Mandatum octavum eſt [*Non furaberis*[i].]

[i] *Exod.*20.15.

Q. *Quænam ſunt officia octavo mandato imperata?*

R. Offi-

R. Officia octavo præcepto imperata ſunt, veritas, fidelitas, juſtitiáque in contractibus ac hominum inter ſe commerciis[k], ſuum cuíque tribuere[l], reſtitutio bonorum, ſi quæ injuſtè ab iis ad quos jure ſpectant detineantur[m]; largitio ac mutuatio gratuita, prout res noſtræ tulerint, ac neceſſitatis aliorum flagitaverint[n]; judiciorum noſtrorum voluntatum & affectionum circa res mundanas moderatio[o], providens cura ſtudiúmque ea quæ naturæ noſtræ ſuſtentandæ neceſſaria ſunt ac convenientia, conditioníque noſtræ congruentia[p] acquirendi[q], conſervandi, adhibendi, ac ordinandi; vitæ genus licitum[r], in eóque diligentia[ſ]; frugalitas[t]; actionum forenſium[u], ac fidejuſſionum, niſi ſi fortè neceſſariæ fuerint, evitatio, aliarúmque ejus generis obligationum[*]; unà cum conatu res & bona externa non minùs aliorum quàm noſtra, juſtis quibusq; licitíſque mediis, cùm procurandi, tum conſervandi ac promovendi[x].

Q. *Quæ ſunt peccata vetita in octavo præcepto?*

[k] *Pſal.* 15. 2,4. *Zech.* 7.4,10. *Zech.* 8.16,17.
[l] *Rom.* 13.7.
[m] *Lev.* 6.2,3, 4,5. cum *Luc.* 19.8.
[n] *Luc.* 6.30,38. 1 *Joh.* 3.17. *Eph.* 4.28. *Gal.* 6.10.
[o] 1 *Tim.* 6.6,7, 8,9. *Gal.* 6.14.
[p] *Prov.* 27.23. ad finem. *Eccleſ.* 2.24. *Eccleſ.* 3.12,13. 1 *Tim.* 6.17,18 *Iſa.* 38.1. *Mat.* 11.8.
[q] 1 *Tim.* 5.8.
[r] 1 *Cor.* 7.20. *Gen.* 2.15. *Gen.* 3.19.
[ſ] *Eph.* 4.28. *Prov.* 10.4.
[t] *Job.* 6.12. *Prov.* 21.20.
[u] 1 *Cor.* 6.1. ad 9.
[*] *Prov.* 6. 1. ad 6. *Prov.* 11. 5.
[x] *Lev.* 25.35. *Deut.* 22.1,2,3, 4. *Exod.* 23.4,5 *Gen.* 47.14,20. *Phil.* 2.4. *Matt.* 22.39.

R. Peccata octavo præcepto vetita (præter officiorum quæ inibi exiguntur neglectum [y],) ſunt furtum [z], latrocinium [a], plagium [b]; rei cujuſlibet vi aut dolo malo ablatæ receptio [c]; fraudem exercere [d], ponderibus ac menſuris injuſtis uti [e], terminos dimovere [f], in contractibus hominum inter ſe [g], aut in rebus fidei commiſſis injuſtitia & fraudulentia [h], oppreſſio [i], expilatio [k], fœneratio [l], corrupta munerum acceptatio [m], actiones forenſes excruciantes [n], agrorum diremptiones ac villarum depopulationes injuſtæ [o], Timiopolas agere, unde rerum precium augeatur [p], inſtituta vitæ illicita [q], omnes aliæ rationes injuſtæ ac nefariæ quibus à proximo noſtro quod ei jure debetur aut auferimus, aut detinemus, aut noſmet ipſos locupletamus [r]; avaritia [ſ], inordinata bonorum externorum æſtimatio, aut affectatio [t], diffidentes ac diſtrahentes curæ, ſtudiáque in eis acquirendis, conſervandis, utendíſque [u]; aliorum rebus proſperis in-

[y] *Jac.* 2. 15, 16. 1 *Joh.* 3. 17. [z] *Eph.* 4. 28. [a] *Pſal.* 62. 10. [b] 1 *Tim.* 1. 10. [c] *Prov.* 29. 24. *Pſal.* 50. 18. [d] 1 *Theſſ.* 4. 6. [e] *Prov.* 11. 1. *Prov.* 20. 10. [f] *Deut.* 19. 14. *Prov.* 23. 10. [g] *Amos* 8. 5. *Pſal.* 37. 21. [h] *Luc.* 16. 10, 11, 12. [i] *Ezech.* 22. 29. *Lev.* 25. 17. [k] *Mat.* 23. 25. *Ezech.* 22. 12. [l] *Pſal.* 15. 5. [m] *Job.* 15. 34. [n] 1 *Cor.* 6. 6, 7, 8. *Prov.* 3. 29, 30. [o] *Iſa.* 5. 8. *Mic.* 2. 2. [p] *Prov.* 11. 26. [q] *Act.* 19. 19, 24, 25. [r] *Job.* 20. 19. *Jac.* 5. 4. *Prov.* 21. 6.

[ſ] *Luc.* 12. 15. [t] 1 *Tim.* 6. 5. *Col.* 3. 2. *Prov.* 23. 5. *Pſal.* 62. 10. [u] *Mat.* 6. 25, 31, 34. *Eccleſ.* 5. 15.

videre

videre *; prout etiam ignavia [x], prodigalitas, luſus vaſtantes; reliquæque omnes viæ damnum rei noſtræ familiari indebitè inferendi [y], utì & debìto uſu, ac ſolatio ex rebus nobis á Deo donatis percipiendo noſtrimet defraudatio [z].

Q. *Quodnam eſt mandatum nonum?*

R. Mandatum nonum eſt [*Non eris adverſùs proximum tuum teſtis mendax* [a].]

Q. *Quæ ſunt officia nono mandato imperata?*

R. Officia nono mandato imperata ſunt, veritatem inter homines [b], bonúmque nomen & exiſtimationem proximi æquè ac noſtrum conſervare [c], ac promovere; veritatem publicè agnoſcere ac defendere [d], eam ex animo [c], ſincerè [f], liberè [g], planè [h], plenéque [i] proloqui eámque ſolam, cùm in rebus forenſibus ac juridicis [k], tum in aliis rebus quibuſcunque [l]; benè de proximis noſtris præ charitate exiſtimare [m], eorúmque bonum nomen amare, cupere, déque eo gaudere [n]; de ipſorum infirmitatibus dolo-

* *Pſal.* 73.3. *Pſal.* 37.1,7.
[x] 2 *Theſſ.* 3. 11. *Prov.* 18.9.
[y] *Prov.* 21.17. *Prov.* 23.20,21. *Prov.* 28.19.
[z] *Eccles.* 4.8. *Eccles.* 6.2. 1 *Tim.* 5.8.
[a] *Exod.* 20.16.
[b] *Zech.* 8.16.
[c] 3 *Joh.* v. 12.
[d] *Prov.* 31.8,9.
[e] *Pſal.* 15.2.
[f] 2 *Chron.* 19.9.
[g] 1 *Sam.* 19.4,5.
[h] *Joſ.* 7.19.
[i] 2 *Sam.* 14.18, 19,20.
[k] *Lev.* 19.15. *Pro.* 14. 5.25.
[l] 2 *Cor.* 1 17,18. *Eph.* 4.25.
[m] *Heb.* 6.9. 1 *Cor.* 13.7.
[n] *Rom.* 1.8. 2 *Joh.* v. 4. 3 *Joh.* v. 3,4.

re affici [o], eáſque cooperire [p]; dona & gratias eorum lubenter agnoſcere [q]; eorum innocentiam propugnare [r], bonam de iis famam promptè excipere [s], obloquutiones verò non niſi invitè admittere [t]; delatores [u], adulatores *, ac detractatores rejicere [x]; nominis noſtri amorem curámque gerere, illúdque, ubi opus eſt, defendere [y]; promiſſiones licitas præſtare [z]; quæcunque denique vera ſunt, quæcunque honeſta, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, eis ſtudere, ea facere [a].

[o] 2 *Cor.* 2.4. 2 *Cor.* 12.21.
[p] *Prov.* 17.9. 1 *Pet.* 4.8.
[q] 1 *Cor.* 1.4,5,7. 2 *Tim.* 1.4,5.
[r] 1 *Sam.* 22.14.
[s] 1 *Cor.* 13.6,7.
[t] *Pſal.* 15.3.
[u] *Prov.* 25.23.
* *Prov.* 26.24,25.
[x] *Pſal.* 101.5.
[y] *Prov.* 22.1. *Joh.* 8.49.
[z] *Pſal.* 15.4.
[a] *Phil.* 4.8.

Q. *Quænam ſunt peccata nono præcepto prohibita?*

R. Peccata nono præcepto prohibita ſunt, veritatem aut nomen ſeu proximorum ſive noſtrum quocunque modo violare [b], tum verò præcipuè in judiciis publicis [c]; teſtimonium falſum præbere [d], teſtes falſos ſubornare [e], ſcienter ac prudenter malam cauſam aut præſentiâ aut patrocinio defendere, veritatem impudenter ac vultuosè opprimere [f], ſententiam injuſtã ferre [g], quod malum eſt bonum, quod verò bonum eſt malum dicere, improbos

[b] 1 *Sam.* 17.28. 2 *Sam.* 16.3. 2 *Sam.* 1.9,10,15,16.
[c] *Lev.* 19.15. *Hab.* 1.4.
[d] *Prov.* 19.5. *Prov.* 6.16,19.
[e] *Act.* 6.13.
[f] *Jer.* 9.3,5. *Act.* 24.2,5. *Pſal.* 12.3,4. *Pſ.* 52.1,2,3,4.
[g] *Prov.* 17.15. 1 *Reg.* 21.9,10,11,12,13.

ſecundùm opera juſtorum remunerare, juſtos autem ſecundùm opera improborum[h]; teſtamenta vel tabulas ſubjicere aut comminiſci[i], veritatem ſupprimere, indebitè in cauſa juſta reticere[k], prout etiam ſilere, quandocunque iniquitatem aut ipſi reprehendere[l], aut ad alios deferre debemus[m]; veritatem dicere, intempeſtivè[n], malitiosè in malum finem[o], eandem in falſam ſententiam pervertere[p], aut dubiè ac æquivocè proferre ad veritatis juſtitiæve incommodum ac detrimentum[q]; falſiloquium[r]; mendacium[ſ]; obtrectatio[t]; abſentum inſimulatio[u] detractio[*]; rumigeratio[x]; ſuſurrus[y]; ſubſannatio[z], convitium[a], cenſura temeraria[b], tetrica[c], iniqua[d], intentionum, verborum actionúmque mala interpretatio[e], adulatio[f], oſtentatio vana[g], nimis honorificè aut viliter de nobiſmet ipſis aliíſve aut loqui aut ſentire[h], donorum gratiarûmque Dei abnegatio[i], levioris culpæ aggrava-

[h] *Iſa.* 5.23.
[i] *Pſal.* 119.69. *Luc.* 19.8. *Luc.* 16.5, 6, 7.
[k] *Lev.* 5.1. *Deut.* 13.8. *Act.* 5.3, 8, 9. 2 *Tim.* 4.16.
[l] 1 *Reg.* 1.6. *Lev.* 19.17.
[m] *Iſa.* 59.4.
[n] *Prov.* 29.11.
[o] 1 *Sam.* 22. 9, 10. cum *Pſal.* 52.1, 2, 3, 4.
[p] *Pſal.* 56.5. *Joh.* 2.19. cum Mat. 26.60, 61.
[q] *Gen.* 3.5. *Gen.* 26.7, 9.
[r] *Iſa.* 59.13.
[ſ] *Lev.* 19. 11. *Col.* 3.9.
[t] *Pſal.* 50.20.
[u] *Pſal.* 15.3.
[*] *Jac.* 4.11. *Jer.* 38, 4.
[x] *Lev.* 19.16.
[y] *Rom.* 1.29, 30.
[z] *Gen.* 21.9. cum *Gal.* 4.29.
[a] 1 *Cor.* 6.10.
[b] *Mat.* 7.1.
[c] *Act.* 28.4.

[d] *Gen.* 38.24. *Rom.* 2.1. [e] *Neh.* 6.6, 7, 8. *Rom.* 3.8. *Pſal.* 69.10. 1 *Sam.* 1.13, 14, 15. 2 *Sam.* 10.3. [f] *Pſal.* 12.2, 3. [g] 2 *Tim.* 3.2. [h] *Luc.* 18.9, 11. *Rom.* 12.16. 1 *Cor.* 4.6. *Act.* 12.22. *Exod.* 4. 10, 11, 12, 13, 14. [i] *Job.* 27.5, 6. *Job.* 4.6.

tio[k],

tio [k]; peccatorum occultatio, excuſatio vel extenuatio, cùm ad ea liberè confitendum invitamur [l]; infirmitatum proditio non-neceſſaria [m]; falſos rumores ſpargere [n]; oblocutiones avidè accipere, iiſque favere [o]; aures adverſùs defenſionem juſtam obturare [p], ſuſpicio mala [q]; meritæ cujuſquam laudi invidere vel indolere [r]; eámque imminuendi conatus ac deſiderium [s]; è cujuſvis dedecore ac infamiâ lætitiam capere [t]; contemptus faſtidioſus [u]; admiratio ſtulta *; promiſſionum licitarum violatio [x]; neglectus earum rerum quæ ſunt bonæ famæ [y], earum autem quæ malam famam conciliant, cùm à nobis ipſis perpetratio vel non-declinatio, tum in aliis, quoad ejus fièri poteſt, non-impeditio [z].

[k] *Mat.*7.3,4,5. [l] *Prov.*28.13. Prov.30.20. *Gen.*3.12,13. *Jer.*2.35. 2 *Reg.*5.25. *Gen.*4.9. [m] *Gen.*9.22. *Prov.*25.9, 10. [n] *Exod.*23.1. [o] Prov.29.12. [p] *Act.*7.56,57. *Job.*31.13,14. [q] 1 *Cor.*13.5. 1 *Tim.*6.4. [r] *Num.*11.29. *Mat.*21.15. [s] *Ezr.*4.12, 13. [t] *Jer.* 48.27. [u] *Pſal.*35.15,16 21. *Mat.*27.28 29. * *Judæ* v.16 *Act.*12.22. [x] *Rom.*1.31. 2 *Tim.*3.3. [y] 1 *Sam.*2.24. [z] 2 *Sam.*13.12, 13. Pro.5.8,9. Prov.6.33.

Q. *Quodnam eſt mandatum decimum?*

R. Mandatum decimum eſt [*Non concupiſces proximi tui domum, non concupiſces proximi tui uxorem, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, neque aliud denique quicquam quod eſt proximi tui* [a].]

[a] Exod.20.17.

Q. *Quænam*

Q. *Quænam ſunt officia quæ decimo præcepto exiguntur?*

R. Officia quæ decimo præcepto exiguntur ſunt, acquieſcentia ſorti noſtræ adeò perfecta [b], totiúsque animæ noſtræ adeò benevola in proximnm diſpoſitio, ut omnes interni noſtri motus ac affectus eum ſpectantes ad bonum ipſius tendant, idémque promoveant univerſum [c].

[b] *Heb.*13.5. 1 *Tim.*6.6. [c] *Job.*31.29. *Kom.*12.15. *Pſal.*122.7,8,9 1 *Tim.*1.5. *Eſth.*10.3. 1 *Cor.*13.4,5, 6,7.

Q. *Quæ verò ſunt peccata decimo mandato prohibita?*

R. Peccata decimo mandato prohibita ſunt, rerum noſtrarum diſplicentia [d], invidia [e], dolórque de bono proximi [f], unà cùm motibus affectibúsque circa res ejus indebitis quibuscunque [g].

[d] 1 *Reg.*21.4. *Eſth.*5.13. 1 *Cor.* 10.10. [e] *Gal.*5.26. *Jac.*3 14,16. [f] *Pſal.*112.9,10 *Neh.*2. 10. [g] *Rom.*7.7,8. *Ron.*13.9. *Col.* 3.5. *Deut.*5.21.

Q. *Quiſquámne poteſt mandata Dei perfectè obſervare?*

R. Nemo potis eſt vel è ſeipſo [h], vel ex gratia quavis in hac vita receptâ mandata Dei perfectè implere [i], verùm ea quotidiè violat cùm cogitationibus [k], tum dictis, factìsque [l].

[h] *Jac.*3.2. *Joh.*15.5. *Rom.*8.3. [i] *Eccleſ.*7.20. 1 *Joh.*1.8,10. *Gal.*5.17, *Rom.*7.18,19. [k] *Gen.* 6.5. *Gen.*8. 21. [l] *Rom.* 3.9.ad 21. *Jac.*3.2,ad 13.

Q. *An verò ſunt omnes legis Divinæ transgreſſiones ſuâ naturâ atque in*

L *cen-*

conſpectu Dei ex æquo graves?

R. Omnes legis Divinæ transgreſſiones non ſunt ex æquo graves; verùm peccata quædam aliis, tam ſuâ naturâ, quàm propter varias eorundem aggravationes, ſunt in conſpectu Dei graviora [m].

Q. *Quænam ſunt aggravationes illæ quibus peccata alia aliis redduntur graviora?*

R. Peccatis aggravationes accedunt

A perſonis delinquentibus [n], nempe ſi illis ætas provectior ſit [o], ſi plus habeant experientiæ, aut gratiæ [p], quoq; magìs profeſſione religionis [q], donis [r], dignitate [ſ], ac munere ſunt præſtantes [t], ſi ſint aliorum duces [u], quorúmq; exemplum plures poſſit ad imitationem invitare *.

A perſonis læſis [x], ſi immediatè adverſùs Deum [y], ejus attributa [z], cultúmq, [a]; adverſùs Chriſtum, ejúſq; gratiam [b]; Spiritum Sanctum [c], ejus teſtimonium [d], ac operationes [e]; adverſùs ſuperiores, viros eminentes [f], cóſque quibus aut relatione aliquâ ſpeciali

m *Joh.* 19.11. *Ezech.* 8.6,13, 15. 1 *Joh.* 5.16 *Pſal.* 78.17, 32,56.
n *Jer.* 2.8.
o *Job.* 32.7,9. *Eccleſ.* 4.13.
p 1 *Reg.* 11.4,9.
q 2 *Sam.* 12.14. 1 *Cor.* 5.1.
r *Jac.* 4.17. *Luc.* 12.47,48.
ſ *Jer.* 5.4,5.
t 2 *Sam.* 12.7, 8,9. *Ezech.* 8. 11,12.
u *Rom.* 2.17. ad 25. **Gal.* 2.11, 12,13,14.
x *Mat.* 21. 38,39.
y 1 *Sam.* 2.25. *Act.* 5.4. *Pſal.* 51.4.
z *Rom.* 2.4.
a *Mal.* 1.8,14.
b *Heb.* 2.2,3. *Heb.* 12,25.
c *Heb.* 10.29. *Mat.* 12.31,32.
d *Eph.* 4.30.
e *Heb.* 6.4,5.
f *Judæ* v.8. *Num.* 12.8,9. *Iſai.* 3.5.

ciali conjuncti ſumus, aut officio devinctis[g]; adverſùs ſanctorum quemlibet[h], ſpeciatim infirmos fratres[i]; ipſorum aut aliorum quorumvis animas[k]; commune bonum ſeu omnium ſive multorum[l].

A peccati natura & qualitate[m], ſi contra expreſſa legis verba ſit[n], aut plura mandata violet, peccata plura in ſe contineat[o]; ſi non ſolùm in corde conceptum, verùm etiam dictis aut factis expreſſum ſit[p]; ſi aliis ſit offendiculo[q], ſi reparationem nullam admittat[r]; ſi adverſùs media[ſ] ſalutis, beneficia[t], judicia Dei[u], naturæ lumen[*], conſcientiæ convictionem[x], admonitionem publicàm privatámve[y], cenſuras Eccleſiaſticas[z], punitiones civiles[a], noſtras ipſorum preces, propoſita, promiſſa[b], vota[c], fœdera[d], obligationes Deo facta aut homini-

[g] Prov. 30. 17. 2 Cor. 12. 15. Pſal. 55. 12, 13, 14, 15. [h] Zeph. 2. 8, 10, 11. Mat. 18. 6. 1 Cor. 6. 8. Apoc. 17. 6. [i] 1 Cor. 8. 11, 12. Rom. 14. 13, 15, 21. [k] Ezech. 13. 19. 1 Cor. 8. 12. Apoc. 18. 13. Mat. 23. 15. [l] 1 Theſſ. 2. 15, 16. Joſh. 22. 20. [m] Prov. 6. 30, ad finem. [n] Ezra. 9. 10, 11, 12. 1 Reg. 11. 9, 10. [o] Col. 3. 5. 1 Tim. 6. 10. Prov. 5. 8, 9, 10, 11, 12. Prov. 6. 32, 33. Joſh. 7. 21.

[p] Jac. 1. 14, 15. Mat. 5. 22. Mic. 2. 1. [q] Mat. 18. 7. Rom. 2. 23, 24. [r] Deut. 22. 22. cum v. 28, 29. Prov. 6. 32, 33, 34, 35. [ſ] Mat. 11. 21, 22, 23, 24. Joh. 15. 22 [t] Iſai. 1. 3. Deut. 32. 6. [u] Amos 4. 8, ad 12. Jer. 5. 3. [*] Rom. 1. 26, 27. [x] Rom. 1. 32. Dan. 5. 22. Tit. 3. 10, 11. [y] Prov. 29. 1. [z] Tit. 3. 10. Mat. 18. 17. [a] Prov. 27. 22. Prov. 23. 35. [b] Pſal. 78. 34, 35, 36, 37. Jer. 2. 20. Jer. 42. 5, 6, 20, 21. [c] Eccleſ. 5. 4, 5, 6. Prov. 20. 25. [d] Lev. 26. 25.

bus [e]; ſi deliberatè fiat [f], præfracto animo [g], inſolenter [h], impudenter [i], oſtentanter [k], malitiosè [l], frequenter [m], refractariè [n], cum delectatione [o], diuturnitate [p], aut recidivatione poſt reſipiſcentiam [q].

A temporis [r], locíque [ſ], circumſtantiis; ſi die Dominico [t], aliísve temporibus divino cultui conſecratis [u]; ſi immediatè præcedat [*], vel ſubſequatur hæc [x], aliáve auxilia quæ iſtiusmodi malis vel præcavendis vel medicandis deſtinantur [y]; ſi publicè aut coram aliis, quos probabile eſt provocatum indè aut coinquinatum iri [z].

[e] *Prov.* 2.17. *Ezech.*17.18, 19. [f] *Pſal.*36.4. [g] *Jer.*6.16. [h] *Num.*15.30. *Exod.*21.14. [i] *Jer.*3.3. *Prov.*7.13. [k] *Pſal.*52.1. [l] 3 *Joh.*v.10. [m] *Num.*14.22. [n] *Zech.*7.11,12. [o] *Prov.*2.14. [p] *Iſa.*57.17. [q] *Jer.*34.8,9, 10,11. 2 *Pet.*2.20, 21,22. [r] 2 *Reg.*5.26. [ſ] *Jer.*7.10. *Iſa.* 26. 10. [t] *Ezech.* 23.37,38,39. [u] *Iſa.* 58.3,4,5. *Num.* 25.6,7. * 1 *Cor.*11.20, 21. [x] *Jer.*7.8,9,10. *Prov.*7.14,15. *Joh.*13.27,30. [y] *Ezra* 9.13,14. [z] 2 *Sam.*16.22. 1 *Sam.*2.22,23,24.

Q. *Quid de Deo meretur peccatum unumquodque?*

R. Pecatum vel minimum quódq; cùm adversùs ſupremum Dei Dominium [a], bonitatem [b], & ſanctitatem [c], juſtámque ejus legem fiat [d], iram ejus ac maledictionem [e] tam in hac vita [f]

[a] *Jac.*2.10,11. [b] *Exod.*20.1,2. [c] *Hab.*1.13. *Lev.*10.3. *Lev.*11.44,45. [d] 1 *Joh.*3.4. *Rom.*7.12. [e] *Eph.*5.6. *Gal.*3.10. [f] *Lam.*3.39. *Deut.*28.15. ad finem.

quàm

quàm futurâ commeretur [g], neque poteſt niſi Chriſti ſanguine expiari [h].

Q. *Quid à nobis exigit Deus, quò iram ejus ac maledictionem nobis debitam propter legis transgreſſionem, effugiamus?*

R. Quò iram ac maledictionem Dei propter transgreſſionem legis nobis debitam effugiamus, à nobis exigit reſipiſcentiam erga Deum, fidémque erga Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum [i], ac diligentem mediorum externorum uſum, quibus communicat nobis Chriſtus mediationis ſuæ beneficia [k].

Q. *Quænam ſunt externa illa media quibus Chriſtus nobis mediationis ſuæ communicat beneficia?*

R. Media externa ac ordinaria quibus Chriſtus communicat Eccleſiæ ſuæ mediationis ſuæ beneficia ſunt inſtituta ejus omnia; imprimis autem verbum, ſacramenta & oratio, quæ quidem omnia electis fiunt ad ſalutem efficacia [l].

Q. *Quomodo fit verbum efficax ad ſalutem?*

[g] *Mat.*25.41.
[h] *Heb.* 9.22. 1 *Pet.*1.18,19.
[i] *Act.*20.21. *Mat.*3.7,8. *Luc.*13.3,5. *Act.*16.30,31. *Joh.*3.16,18.
[k] *Prov.*2.1,ad6. *Prov.* 8.33. ad finem.
[l] *Mat.*28.19, 20. *Act.*2.42,46, 47.

R. Spiritus Dei lectionem verbi, præcipuè verò prædicationem reddit medium efficax illuminandi [m], convincendi, humiliandíque peccatores [n], cósque amoliendi ab omni confidentia ſui, ad Chriſtum autem pertrahendi [o], ac ad imaginem ejus conformandi [p], ejúsque eos voluntati ſubjugandi [q], quin etiam confirmandi eos adverſùs tentationes omnes corruptionésque [r], ædificandi in gratia [ſ], eorúmque corda in ſanctitate ac ſolatio per fidem ad ſalutem ſtabiliendi [t].

Q. *Eſtne igitur verbum Dei ab omnibus legendum?*

R. Quamvis omnibus non ſit permiſſum, ut verbum Dei publicè legant coram toto cœtu [u], nullum tamen eſt genus hominum quod ſeorſim [*], ac in familiis ſuis illud legere non tenetur [x], in quem finem ſcripturæ ſacræ ſunt ex originalibus in vulgares linguas transferendæ [y].

Q. *Quî legendum eſt verbum Dei?*

R. Scripturæ ſacræ legendæ ſunt,

[m] *Neh.* 8.8. *Act.* 26.18. *Pſal.* 19.8. [n] 1 *Cor.* 14.24, 25. 2 *Chron.* 34. 18, 19, 26, 27, 28. [o] *Act.* 2.37, 41. *Act.* 8.27. ad 39. [p] 2 *Cor.* 3.18 [q] 2 Cor. 10.4, 5, 6. *Rom.* 6.17. [r] *Mat.* 4.4, 7, 10 *Eph.* 6.16, 17. *Pſal.* 19.11. 1 Cor. 10.11. [ſ] *Act.* 20.32. 2 *Tim.* 3.15, 16, 17. [t] *Rom.* 16.25. 1 *Theſ.* 3.2, 10, 11, 12. *Rom.* 15.4. *Rom.* 10.13, 14, 15, 16, 17. *Rom.* 1.16. [u] *Deut.* 31.9, 11, 12, 13. *Neh.* 8.2, 3. *Neh.* 9.3, 4, 5. [*] *Deut.* 17.19. *Apoc.* 1.3. *Joh.* 5.39. *Iſa.* 34.16. [x] *Deut.* 6.6, 7, 8, 9. *Gen.* 18.17, 19. *Pſal.* 78.5, 6, 7. [y] 1 *Cor.* 14. 6, 9, 11, 12, 15, 16, 24, 27, 28.

cum ſumma illarum veneratione, ac reverentia [z]; cum perſuaſione firma, eſſe illas ipſiſſimum verbum Dei [a], eúmque ſolum efficere poſſe ut illas intelligamus [b]; cum deſiderio voluntatem Divinam in iis revelatam cognoſcendi, credendi, eíque obtemperandi [c]; cum diligentia [d], ac earum materiæ ſcopóque attentione [e], cum meditatione [f], applicatione [g], abnegatione noſtrî [h], ac oratione [i].

Q. *A quibus prædicari debet verbum Dei?*

R. Verbum Dei ab iis ſolis prædicari debet, qui donis ſufficienter inſtructi ſunt [k], atque inſuper debitè ad id officii approbati vocatique [l].

Q. *Quomodo prædicare debent verbum Dei qui ſunt ad illud muneris vocati ac deſignati?*

R. Qui vocati ſunt ad laborandum in verbi miniſterio, prædicare debent doctrinam ſanam [m], diligenter [n], tempeſtivè, intempeſtivè [o]; ſimpliciter [p], non in allicientibus humanæ ſapientiæ verbis, verùm in demonſtratione ſpiri-

[z] *Pſal.* 19.10. *Neh.*8.3, ad 10. *Exod.*24.7. 2 *Chron.*34.27. *Iſai.*66.2.
[a] 2 *Pet.* 1.19, 20, 21.
[b] *Luc.*24.45. 2 *Cor.*3.13, 14, 15, 16.
[c] *Deut.*17.19, 20.
[d] *Act.* 17.11.
[e] *Act.*8.30, 34. *Luc.*10.26, 27, 28.
[f] *Pſal.*1.2. *Pſal.*119.97.
[g] 2 *Chr.*34.21.
[h] *Prov.*3.5. *Deut.*33.3.
[i] *Prov.*2.1, ad 7. *Pſal.*119.18. *Neh.*8, 6, 8.
[k] 1 *Tim.*3.2, 6. *Eph.* 4.8, 9, 10, 11. *Hoſ.*4.6. *Mal.*2.7. 2 *Cor.*3.6.
[l] *Jer.*14.15. *Rom.*10.15. *Heb.*5.4. 1 *Cor.*12.28, 29. 1 *Tim.* 3.10. 1 *Tim.* 4.14. 1 *Tim.*5.22.
[m] *Tit.*2.1, 8.
[n] *Act.*18.25.
[o] 2 *Tim.*4.2.
[p] 1 *Cor.*14.19.

tûs, & potentiâ [q]; fideliter [r], totum Dei conſilium manifeſtando [ſ]; prudenter [t], variæ auditorum neceſſitati & captui ſemet accommodando [u]; fervidè* è flagrante Dei [x] animarúmq; populi ejus amore [y], ſincerè [z], in Dei gloriam [a], populíque converſionem [b], ædificationem [c], ac ſalutem collimando [d].

Q. *Quid exigitur à prædicationem verbi audientibus?*

R. Ab iis qui prædicationem verbi audiunt id exigitur, ut ei cum omni diligentia [e], præparatione [f], ac oratione [g] attendant; ut quicquid audierint, per ſcripturas examinent [h]; ut fide [i], amore [k], lenitate [l], ac promptitudine animi [m] veritatem excipiant tanquam verbum Dei [n]; de eo meditentur [o], ſermonésque conferant [p]; in cordibus ſuis abdant [q]; ejúſque fructus in vita ſua edant [r].

Q. *Quâ verò ratione fiunt Sacramenta ſalutis media efficacia?*

[q] 1 *Cor.* 2.4. [r] *Jer.*23.28. 1 *Cor.*4.1 2. [ſ] *Act.*20.27. [t] *Col.*1.28. 2 *Tim.*2.15. [u] 1 *Cor.*3.2. *Heb.*5.12,13, 14. *Luc.*12.42. * *Act.*18.25. [x] 2 *Cor.*5.13, 14. *Phil.*1.15, 16,17. [y] *Col.*4.12. 2 *Cor.*12.15. [z] 2 *Cor.*2.17. 2 *Cor.*4.2. [a] 1 *Theſ.*2.4,5, 6. *Joh.*7.18. [b] 1 *Cor.* 9.19, 20,21,22. [c] 2 *Cor.*12.19. *Eph.*4.12. [d] 1 *Tim.*4.16. *Act.*26.16,17, 18. [e] *Prov.*8.34. [f] 1 *Pet.*2.1,2. *Luc.*8.18. [g] *Pſal.*119.18. *Eph.*6,18,19. [h] *Act.* 17.11. [i] *Heb.*4 2. [k] 2 *Theſ.*2.10.

[l] *Jac.* 1.21. [m] *Act.* 17.11. [n] 1 *Theſ.* 2.13. [o] *Luc.* 9.44. *Heb.* 2.1. [p] *Luc.* 24.14. *Deut.* 6.6,7. [q] *Prov.* 2.1. *Pſal.* 119.11. [r] *Luc.* 8.15. *Jac.*1,25.

R. Sa-

R. Sacramenta fiunt media ſalutis efficacia, non per vim quamvis ipſis intrinſecam, aut per virtutem aliquam ab adminiſtrantis pietate, vel intentione derivatam; verùm tantummodo per operationem ſancti Spiritûs & benedictionem Chriſti, à quo ſunt inſtituta [f].

[f] 1 *Pet.* 3. 21. *Act.* 8. 13. cum v. 23. 1 *Cor.* 3. 6, 7. 1 *Cor.* 12. 13.

Q. *Quid eſt Sacramentum?*

R. Sacramentum eſt ordinatio ſacra à Chriſto in Eccleſia ſua inſtituta [t], ad mediationis ſuæ beneficia [u] eis qui ſunt in fœdere gratiæ [*] ſignificandum, obſignandum, & exhibendum [x]; eorúmq; fidem cæteráſque gratias confirmandum augendúmque [y], eos ad obedientiam obligandum [z], eorúmque amorem ac communionem inter ſe mutuam teſtificandum fovendúmque [a], quinetiam eos ab extraneis diſtinguendum [b].

[t] *Gen.* 17. 7, 10. *Exod.* 12. cap. *Matt.* 28. 19. *Mat.* 26. 27, 28. [u] *Act.* 2. 38. 1 *Cor.* 10. 16. [*] *Rom.* 15. 8. *Exod.* 12. 48. [x] *Rom.* 4. 11. 1 *Cor.* 11. 24, 25 [y] *Rom.* 4. 11. *Gal.* 3. 27. [z] *Rom.* 6. 3, 4. 1 *Cor.* 10. 21. [a] *Eph.* 4. 2, 3, 4, 5 1 *Cor.* 12. 13. [b] *Eph.* 2. 11, 12. *Gen.* 34. 14.

Q. *Quæ ſunt partes Sacramenti?*

R. Sacramenti partes duæ ſunt; altera quidem ſignum externum ac ſenſibile adhibitum ſecundùm Chriſti inſtitutionem; altera verò gratia interna eſt ac ſpiritualis per illud ſignificata [c].

[c] *Matt.* 3. 11. 1 *Pet.* 3. 21. *Rom.* 2. 28, 29.

Q. *Cedo*

Q. *Cedò numerum Sacramentorum, quæ Chriſtus inſtituit in Eccleſia ſua ſub N. T.?*

R. Sub Novo Teſtamento Chriſtus in Eccleſia ſua duo tantùm inſtituit Sacramenta, baptiſmum ſcilicet ac cœnam Domini [d].

[d] *Matt.* 28.19. 1 *Cor.* 11.20,23 *Mat.* 26.26,27, 28.

Q. *Quid eſt Baptiſmus?*

R. Baptiſmus eſt Sacramentum N. T. quo ablutionem per aquam in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti [e] ordinavit Chriſtus, quæ ſignum foret ac ſigillum inſitionis in ipſum [f], remiſſionis peccatorum per ſanguinem ipſius [g], ut & regenerationis per ejus ſpiritum [h], adoptionis item [i], ac reſurrectionis ad vitam æternam [k], quáque perſonæ baptizatæ in eccleſiam viſibilem ſolenniter admittuntur [l], & paciſcuntur publicè ac ex profeſſo, ſe nempe totos fore ſolius Domini [m].

[e] *Matt.* 28.19.
[f] *Gal.* 3.27.
[g] *Marc.* 1.4. *Apoc.* 1.5.
[h] *Tit.* 3.5. *Eph.* 5.26.
[i] *Gal.* 3.26,27.
[k] *Cor.* 15.29. *Rom.* 6.5.
[l] 1 *Cor.* 12.13.
[m] *Rom.* 6.4.

Q. *Quibus adminiſtrandus eſt baptiſmus?*

R. Baptiſmus non eſt quibuſquam adminiſtrandus, qui ſunt extra Eccleſiam viſibilem, adeóque à fœdere promiſſionis alieni, uſque dum ſuam in

Chriſtum

Chriſtum fidem, eíque ſe obedientes fore profiteantur [n]: infantes autem à parentum utroque vel altero tantùm procreati, fidem in Chriſtum, eíque obedientiam profitente, vel eò fœderati ſunt ac baptizandi [o].

Q. *Quâ ratione recolendus eſt nobis baptiſmus noſter quo uberiorem exinde fructum percipiamus?*

R. Neceſſarium (at neglectum nimis) officium baptiſmum noſtrum recolendi quo uberiorem exinde fructum percipiamus à nobis totâ vitâ præſtari debet, præcipuè verò tentationis tempore, dúmq; aliis nobis præſentibus adminiſtratur [p]; ſerio nempe gratóque animo naturam ejus conſiderando, finéſque propter quos eſt à Chriſto inſtitutus, privilegia, ac beneficia per illum collata & obſignata, noſtrúmque in eo votum ſolenniter nuncupatum [q]; humiliando noſmet ipſos propter nefaria noſtra inquinamenta, quódque gratiæ baptiſmi defuerimus, noſtræque in eo pactioni [r]; eíſque planè contrarii ambulaverimus; promovendo ad certitudinem remiſſionis

[n] *Act.* 8. 36, 37. *Act.* 2. 38.

[o] *Gen.* 17. 7, 9. cum *Gal* 3. 9. 14. & *Col.* 2. 11, 12. & *Act.* 2, 38, 39. & *Rom.* 4. 11, 12. 1 *Cor.* 7. 14 *Matt.* 28. 19. *Luc.* 18. 15. 16. *Rom.* 11. 16.

[p] *Col.* 2. 11, 12. *Rom.* 6. 4, 6, 11.

[q] *Rom.* 6. 3, 4, 5.

[r] 1 *Cor.* 1. 11, 12, 13. *Rom.* 6. 2, 3.

onis peccatorum, ut & benedictionum omnium reliquarum quæcunque in eo nobis ſacramento obſignantur [s]; derivando vires à Chriſti morte ac reſurrectione, in quem baptizati ſumus, ad mortificationem peccati, & gratiæ vivificationem [t]; operam dando ut fide vivamus [u], & converſationem noſtram in ſanctimonia ac juſtitia habeamus [*], quemadmodum illos decet qui nomina ſua Chriſto inibi dederunt [x], útque in fraterna charitate ambulemus, eodem nempe ſpiritu in idem corpus baptizati [y].

[s] Rom. 4.11,12. 1 Pet. 3.21.
[t] Rom. 6.3,4,5.
[u] Gal. 3.26,27.
[*] Rom. 6.22.
[x] Act. 2.38.
[y] 1 Cor. 12.13, 25,26,27.

Q. *Quid eſt cœna Dominica?*

R. Cœna Dominica eſt N. T. ſacramentum [z], in quo dando accipiendóq; panem ac vinum, ſecundùm conſtitutionem Jeſu Chriſti, mors ejus declaratur; quíque dignè participant corpore ipſius ac ſanguine veſcuntur ad eorum ſpiritualem nutritionem, & incrementum in gratia [a]; unionem cum eo ac communionem habent confirmatam [b], gratitudinem ſuam erga Deum [c], & cum eo pactionem [d], mutuúmque amorem, ac ſocietatem

[z] Luc. 22.20.
[a] Matt. 26.26, 27, 28. 1 Cor. 11.23, 24, 25, 26.
[b] 1 Cor. 10.16.
[c] 1 Cor. 11.24, 25, 26.
[d] 1 Cor. 10.14, 15, 16, 21.

inter

inter ſe tanquam membra ejuſdem corporis myſtici teſtantur renovántque [e]. e 1 *Cor.* 10.17.

Q. *Quomodo in ſacramento cœnæ Dominicæ dandum accipiendúmque panem ac vinum ordinavit Chriſtus?*

R. Chriſtus ordinavit ut verbi ſui miniſtri in ſacramento cœnæ Dominicæ adminiſtrando panem vinúmq;, ab uſu communi ſeparent, atque id quidem per verbum inſtitutionis, gratiarum actionem ac orationem; ut panem accipiant frangántque, atque tum panem, tum vinum dent communicantibus; qui eâdem conſtitutione tenentur panem accipere & comedere, vinúmque bibere, gratè commemorantes corpus Chriſti pro iis fractum datúmque, ſanguinémque ejus pro iis fuſum [f]. f 1 *Cor.* 11.23, 24. *Matt.* 26, 26, 27, 28. *Marc.* 14. 22, 23, 24. *Luc.* 22.19, 20.

Q. *Quâ ratione corpus ac ſanguinem Chriſti paſcuntur qui dignè participant cœnam Dominicam?*

R. Quemadmodum corpus & ſanguis Chriſti in cœna Dominica non ſunt corporeè aut carnaliter præſentia, in, cum, aut ſub pane ac vino [g], ſpiritualiter g *Act.* 3. 21.

tualiter tamen fidei recipientis non minùs quidem verè ac realiter, quàm externis eorum ſenſibus elementa ipſa præſtò ſunt [h]: ità in ſacramento cœnæ Dominicæ dignè communicantes, veſcuntur inibi corpore ac ſanguine Chriſti, modo non corporeo quidem aut carnali, at ſpirituali [i], verè nihilominus ac realiter, dum Chriſtum crucifixum omniáque mortis ejus beneficia per fidem recipiunt applicántque ſibimetipſis [k].

[h] *Matt.* 26. 26, 28.

[i] 1 *Col.* 11. 24, 25, 26, 27, 28, 29.

[k] 1 *Cor.* 10. 16.

Q. *Quomodo ſe præparare debent qui ſacramenti cœnæ Dominicæ participes ſunt futuri?*

R. Sacramenti cœnæ Dominicæ participes futuri, ad illud priùs ſemet præparare debent, examinando ſemet [l], an ſint in Chriſto [m], quæ peccata admiſerint, quibus rebus indigeant [n], an veram habeant ac ſufficientem cognitionem [o], fidem [p], reſipiſcentiam [q], erga Deum ac fratres amorem [r], erga omnes homines charitatem [ſ], eorum qui illos injuriâ affecerint ignoſcentiam [t], qualia habeant erga Chriſtum deſideria [u], déque nova ipſorum obedientia

[l] 1 *Cor.* 11. 28.
[m] 2 *Cor.* 13. 5.
[n] 1 *Cor.* 5. 7. cum *Exod.* 12. 15.
[o] 1 *Cor.* 11. 29.
[p] 2 *Cor.* 13. 5.
[q] *Zech.* 12. 10. 1 *Cor.* 11. 31.
[r] 1 *Cor.* 10. 16, 17. *Act.* 2. 46, 47.
[ſ] 1 *Cor.* 5. 8. 1 *Cor.* 11. 18, 20.
[t] *Mat.* 5. 23, 24.
[u] *Iſa.* 55. 1. *Joh.* 7. 37.

dientia *; quinetiam porrò, harum gratiarum exercitium renovando [x], per meditationem ſeriam [y], ac orationem fervidam [z].

Q. *An accedere ad cœnam Domini licet ei, qui an ſit in Chriſto, vel an ſit ritè præparatus dubitat?*

R. Qui dubitat an ipſe in Chriſto ſit, aut an ſit ritè ad ſacramentum cœnæ Dominicæ præparatus, fieri poteſt ut jus in Chriſto habeat, quamvìs illud nondum habeat pro comperto [a], imò verò in reputatione Dei jam habet, ſi nempe carentiæ ejus ſenſu debito ſit affectus [b], veréque cupiat in Chriſto reperiri [c], ac diſcedere ab omni iniquitate [d]; quo in caſu (quoniam eo fine promiſſa fiunt & hoc ſacramentum inſtituitur, quò Chriſtianis infirmis ac dubitantibus ſubveniatur [e]) deflere ſuam debet infidelitatem [f], atque operam dare ut dubia ei ſolvantur [g], quod certè faciens ad cœnam Domini accedere & poteſt & debet, ut ulteriùs indè corroboretur [h].

Q. *An qui fidem profitentur ac ad cœnam Domini accedere cupiunt ab eadem arceri jure poſſunt?* R. Quot-

* 1 Cor. 5. 7. 8.
[x] 1 Cor. 11. 25. 26, 28. *Heb.* 10. 21, 22, 24. *Pſal.* 26. 6.
[y] 1 Cor. 11. 24, 25.
[z] 2 *Chron.* 30. 18, 19. *Matt.* 26. 26.
[a] *Iſa.* 50. 10. 1 *Joh.* 5. 13. *Pſal.* 88. per totum. *Pſal.* 77. 1. ad 12 *Jonæ* 2. 4. 7.
[b] *Iſa.* 54. 7, 8, 9, 10. *Mat.* 5. 3, 4. *Pſal.* 31. 22. *Pſal.* 73. 13, 22, 23.
[c] *Phil.* 3. 8, 9. *Pſal.* 10. 17. *Pſal.* 43. 1, 2, 5. *Pſal.* 5. 11.
[d] 2 *Tim.* 2. 19. *Iſa.* 50. 10. *Pſal.* 66. 18, 19, 20.
[e] *Iſa.* 40. 11, 29, 31. *Mat.* 11. 28. *Matt.* 12. 20. *Matt.* 26. 28.
[f] *Marc.* 9. 24.
[g] *Act.* 2. 37. *Act.* 16. 30.
[h] *Rom.* 4. 11. 1 *Cor.* 11. 28.

R. Quotquot vel ignorantes, aut ſcandalo aliis eſſe reperiuntur, fidem licèt profiteantur, ac adire cupiant cœnam Dominicam, arceri ab hoc ſacramento & poſſunt & debent per poteſtatem illam quam Chriſtus in Eccleſia ſua reliquit [i]; neque quidem ſunt admittendi, ni cognitione priùs imbuantur, ac reformationem ſui manifeſtent [k].

[i] 1 *Cor.* 11. 27. ad finem, cum *Matt.* 7. 6. & 1 *Cor.* 5. cap. & *Judæ* v. 23. & 1 *Tim.* 5. 22.
[k] 2 *Cor.* 2. 7.

Q. *Quid à Sacramentum cœnæ Dominicæ participantibus in tempore adminiſtrationis præſtandum eſt?*

R. A participantibus Sacramentum cœnæ Dominicæ id exigitur, ut interea dum adminiſtratur, Deum omni ſanctâ reverentiâ & attentione in illo inſtituto obſervent [l], elementa & actiones ſacramentales diligenter advertant [m], corpus Domini cautè diſcernant [n], mortem ejus ac perpeſſionem cum ſummo affectu meditentur [o], indéque ſemet excitent ad gratiarum ſuarum vividum ac vegetum exercitium [p], ſemet ipſos judicando [q], de peccato dolendo [r], Chriſtum vehementer eſuriendo ſitiendóque [ſ], eum per fidem naſcen-

[l] *Levit.* 10. 3. *Heb.* 12. 28. *Pſal.* 5. 7. 1 *Cor.* 11. 17, 26, 27.
[m] *Exod.* 24. 8. cum *Matt.* 26. 28.
[n] 1 *Cor.* 11. 29.
[o] *Luc.* 22. 19.
[p] 1 *Cor.* 11. 26. 1 *Cor.* 10. 3, 4, 5, 11, 14.
[q] 1 *Cor.* 11. 31.
[r] *Zech.* 12. 10.
[ſ] *Apoc.* 22. 17.

paſcendo [t], de plenitudine ejus percipiendo [u], meritis ejus fidendo [*], amore ejus gaudendo [x], pro ejus gratia agendo gratias [y], pactum denique ſuum cum Deo [z], amorémque erga ſanctos omnes renovando [a].

Q. *Ecquod reſtat officium Chriſtianis, poſtquam ſacramentum cœnæ Dominicæ participârunt, peragendum?*

R. Poſtquam ſacramentum cœnæ Dominicæ participârunt officium reſtat Chriſtianis, ut ſecum perpendant ſeriò quomodo inibi ſe, qualíque cum ſucceſſu geſſerint [b]; ſi vivificationem & ſolatium perceperint, ut Deo propterea benedicant [c], ejúsque continuationem orent [d], adversùs recidivationes invigilent [e], votorum fidem ſolvant [f], séque ipſos animent ut Domino in eo inſtituto frequenter attendant [g]; quod ſi nullum exinde ſibi enatum percipiant impræſentiarum emolumentum, in poſterum debent cùm præparationem ſuam, tum in eodem ſacramento quomodo ſe geſſerint, accuratiùs ad examen revocare [h]; in quibus utriſque ſi apud Deum, ſu-

[t] *Joh.* 6. 35.
[u] *Joh.* 1. 16.
[*] *Phil.* 3. 9.
[x] *Pſal.* 63. 4, 5.
2 *Chron.* 30. 21.
[y] *Pſal.* 22. 26.
[z] *Jer.* 50. 5.
Pſal. 50. 5.
[a] *Act.* 2. 42.

[b] *Pſal.* 28. 7.
Pſal. 85. 8.
2 *Cor.* 11. 17, 30, 31.
[c] 2 *Chron.* 30. 21, 22, 23, 25, 26.
Act. 2. 42, 46, 47.
[d] *Pſal* 36. 10.
Cant. 3. 4.
1 *Chron.* 29. 18.
[e] 1 *Cor.* 10. 3, 4, 5, 12.
[f] *Pſal.* 50. 14.
[g] 1 *Cor.* 11. 25, 26. *Act.* 2. 42, 46.
[h] *Cant.* 5. 1, 2, 3, 4, 5, 6.

àmque ipſorum conſcientiam poſſint quidem ſemet liberare, fructum ejus expectare debent idoneō tempore percipiendum [i]: quod ſi in alterutro ſe deliquiſſe deprehenderint, humiliari debent [k], ac majorem in poſterum curam diligentiámque in eo adeundo adhibere [l].

Q. *In quo convenit ſacramentum baptiſmi cum cœnæ Dominicæ ſacramento?*

R. Sacramenta baptiſmi & cœnæ Dominicæ in hoc conveniunt, quòd utriuſque author ſit Deus [m], utriuſque pars ſpiritualis ſit Chriſtus ejusque beneficia [n], utraque ejuſdem fœderis ſigilla ſint [o], non niſi per miniſtros evangelii diſpenſanda [p], atque in Eccleſia Chriſti uſque ad ſecundum ipſius adventum retinenda [q].

Q. *In quo differunt ſacramenta baptiſmi ac cœnæ Dominicæ?*

R. In eo differunt ſacramenta baptiſmi ac cœnæ Dominicæ, quòd baptiſmus ſemel tantummodo ſit adminiſtrandus, & quidem aquâ; útque ſignum ſit & ſigillum regenerationis

[i] *Pſal.* 123. 1. *Pſal.* 42. 5, 8. *Pſal.* 43. 3, 4, 5.
[k] 2 *Chron.* 30. 18, 19. *Iſa.* 1. 16, 18.
[l] 2 *Cor.* 7. 11. 1 *Chron.* 15. 12, 13, 14.
[m] *Matt.* 28. 19. 1 *Cor.* 11. 23.
[n] *Rom.* 6. 3, 4. 1 *Cor.* 10. 16.
[o] *Rom.* 4. 11. cum *Col.* 2. 12. *Mat.* 26. 27, 28.
[p] *Joh.* 1. 33. *Matt.* 28. 19. 1 *Cor.* 11. 23. 1 *Cor.* 4. 1. *Heb.* 5. 4.
[q] *Mat.* 28. 19, 20. 1 *Cor.* 11. 26.

rationis noſtræ ac inſitionis in Chriſtum [r], ídque etiam infantibus [ſ]: at cœna Domini ſæpiùs adminiſtranda eſt, elementis panis ac vini, ad Chriſtum tanquam animæ nutrimentum ſpirituale repræſentandum & exhibendum [t], ad noſtram in eo manſionem ac incrementum confirmandum [u]; atque hoc quidem eis tantummodo qui cùm ætatem tum potentiam habent ſemetipſos examinandi [*].

[r] Mat. 3. 11. Tit. 3. 5. Gal. 3. 27.
[ſ] Gen. 17. 7, 9. Act. 2. 38, 39. 1 Cor. 7. 14.
[t] 1 Cor. 11. 23, 24, 25, 26.
[u] 1 Cor. 10. 16.
[*] 1 Cor. 11. 28, 29.

Q. *Quid eſt oratio?*

R. Oratio eſt quâ petitiones noſtras Deo [x] in nomine Chriſti offerimus [y], auxilio Spiritûs ipſius [z], cum peccatorum noſtrorum confeſſione [a], & gratâ beneficiorum ejus agnitione [b].

[x] Pſal. 62. 8.
[y] Joh. 16. 23.
[z] Rom. 8. 26.
[a] Pſal. 32. 5, 6. Dan. 9. 4.
[b] Phil. 4. 6.

Q. *An ad ſolum Deum preces noſtræ ſunt dirigendæ?*

R. Quum Deus ſolus poſſit ſcrutari corda [c] ſolus omnium petitiones exaudire [d], peccata condonare [e], deſideria implere [f], quúmque in nullum alium credendum ſit [g], nulli cultus religioſus exhibendus [h], preces (quæ hujus pars ſunt non minima [i]) Deo [k]

[c] 1 Reg. 8. 39. Act. 1. 24. Rom. 8. 27.
[d] Pſal. 65. 2.
[e] Mich. 7. 18.
[f] Pſal. 145. 18, 19.
[g] Rom. 10. 14.
[h] Matt. 4. 10.
[i] 1 Cor. 1. 2.
[k] Pſal. 50. 15.

eíque ſoli [l] ferendæ ſunt.

[l] *Rom.* 10. 14.

Q. *Quid ſibi vult, precari in nomine Chriſti?*

R. Precari in nomine Chriſti eſt ex obedientia mandati ejus, & promiſſionum confidentia, ejus gratiâ miſericordiam implorare [m], non nudâ quidem nominis ejus mentione [n], verùm orandi incitamenta, in orando confidentiam, vires, ac ſpem obtinendi noſtram à Chriſto ejúſque mediatione derivando [o].

[m] *Joh.* 14. 13, 14. *Joh.* 16. 24. *Dan.* 9. 17.
[n] *Matt.* 7. 21.
[o] *Heb.* 4. 14, 15, 16. 1 *Joh.* 5. 13, 14, 15.

Q. *Unde ſit ut in nomine Chriſti ſit orandum?*

R. Quum tantum ſit hominis peccatum, tantáque indè nata ejus à Deo elongatio, ut ſine Mediatore nullus nobis ad eum aditus eſſe poſſit [p]; quúmque extra Chriſtum unum nullus in cœlo terráve ſit ad opus tam glorioſum aut inſtitutus, aut idoneus [q]; in ejus ſolius nomine orare debemus [r].

[p] *Joh.* 14. 6. *Iſa.* 59. 2. *Epheſ.* 3. 12.
[q] *Joh.* 6, 27. *Heb.* 7. 25, 26, 27. 1 *Tim.* 2. 5.
[r] *Col.* 3. 17. *Heb.* 13. 15.

Q. *Quâ ratione nobis in orando auxiliatur ſpiritus?*

R. Quoniam ignari ſumus quid rogare, & quo debemus modo Spiritus

infirmitates noſtras ſublevat, efficiendo quidem ut intelligamus, pro quibus perſonis rebúſque, ut & quo modo precatio facienda ſit; efficiendo ac excitando in cordibus noſtris (licèt non in omnibus perſonis, aut omni tempore æqualiter) ejuſmodi apprehenſiones, affectiones, gratiáſque quæ ſunt ad hoc officium ritè præſtandum requiſita [f].

[f] *Rom.* 8. 26, 27. *Pſal.* 10. 17. *Zech.* 12. 10.

Q. *Pro quibus perſonis eſt nobis orandum?*

R. Orandum eſt nobis pro tota Chriſti in terris Eccleſia [t], pro magiſtratibus [u], ac miniſtris [*], pro nobiſmet ipſis [x], pro noſtris fratribus [y], imò verò etiam pro inimicis [z], pro hominibus denique omnibus viventibus [a], vel etiam victuris aliquando [b]; neutiquam verò pro mortuis [c], aut iis de quibus conſtat eos peccatum ad mortem perpetrâſſe [d].

[t] *Eph.* 6. 18. *Pſal.* 28. 9.
[u] 1 *Tim.* 2. 1, 2.
[*] *Col.* 4. 3.
[x] *Gen.* 32. 11.
[y] *Jac.* 5. 16.
[z] *Matt.* 5. 44.
[a] 1 *Tim.* 2. 1, 2.
[b] *Joh* 17. 20. 2 *Sam.* 7. 29.
[c] 2 *Sam.* 12. 21, 22, 23.
[d] 1 *Joh.* 5. 16.

Q. *Pro quibus rebus eſt orandum?*

R. Pro rebus iis orandum eſt quæcunque faciunt ad Dei gloriam [e], Eccleſiæ commodum [f], noſtri [g] aliorúmq; bonum [h], pro nulla autem re quæ eſt illicita [i].

[e] *Matt.* 6. 9.
[f] *Pſal.* 51. 18. *Pſal.* 122. 6.
[g] *Matt.* 7. 11.
[h] *Pſal.* 125. 4.
[i] 1 *Joh.* 5. 14.

Q. *Quo autem modo debemus orare?*

R. Orare debemus cum reverente majeſtatis Dei apprehenſione [k], cum profundo indignitatis [l], neceſſitatis [m], ac peccatorum noſtrorum ſenſu [n]; cum corde pœnitente [o], grato [p], ac dilatato [q]; cum intellectu [r], fide [f], ſinceritate [t], fervore [u], dilectione [*], ac perſeverantia [x]; ipſum præſtolantes [y] cum humillima voluntati ejus ſubmiſſione [z].

k *Eccleſ.* 5. 1.
l *Gen.* 18. 27. *Gen.* 32. 10.
m *Luc.* 15. 17, 18, 19.
n *Luc.* 18. 13, 14
o *Pſal.* 51. 17.
p *Phil.* 4. 6.
q 1 *Sam.* 1. 15. 1 *Sam.* 2. 1.
r 1 *Cor.* 14. 15.
f *Marc.* 11. 24. *Jac.* 1. 6.
t *Pſal.* 145. 18. *Pſal.* 17. 1.
u *Jac.* 5. 16.
* 1 *Tim.* 2. 8.
x *Eph.* 6. 18.
y *Mich.* 7. 7.
z *Matt.* 26. 39.

Q. *Quam nobis præſcripſit Deus regulam, quâ in orationis officio dirigamur?*

R. Totum Dei verbum utile nobis eſſe poteſt in officio orationis dirigendis [a], ſpecialis verò directionis norma eſt illa orationis formula quam Servator noſter Chriſtus docuit diſcipulos ſuos, *Oratio Dominica* vulgò dicta [b].

a 1 *Joh.* 5. 14.

b *Matt.* 6. 9, 10, 11, 12, 13. *Luc.* 11. 2, 3, 4.

Q. *Quomodo eſt oratio Dominica adhibenda?*

R. Oratio Dominica non ſolùm directioni inſervit & exemplari, ſecundùm quod aliæ preces concipiendæ ſunt;

ſunt; verùm etiam tanquam oratio poteſt uſurpari, modò illud fiat cùm intellectu, fide, reverentiâ, reliquíſque gratiis ad orationis officium ritè præſtandum neceſſariis [c].

Q. *Quot partes ſunt quibus conſtat oratio Dominica?*

R. Oratio Dominica tribus conſtat partibus, præfatione, petitionibus, & concluſione.

Q. *Quid nos edocet orationis Dominicæ præfatio?*

R. Orationis Dominicæ præfatio verbis hiſce comprehenſa [*Pater noſter, qui es in cœlis* [d]] nos docet orantes Deum accedere cum confidentia paternæ ipſius bonitatis, eámque ad nos ſpectare & pertinere [e], cum reverentia, reliquíſque omnibus quæ filios decent, diſpoſitionibus [f], affectibus cœleſtibus [g], debitáque ipſius cùm ſupremæ poteſtatis, majeſtatíſque, tum demiſſionis gratioſæ apprehenſione [h]: prout etiam pro aliis & cum aliis precari [i].

Q. *Quid eſt quod oramus in petitione prima?*

[c] *Mat.* 6. 9. cum *Luc.* 11. 2.
[d] *Matt.* 6. 9.
[e] *Luc.* 11. 13. *Rom.* 8. 15.
[f] *Iſa.* 64. 9.
[g] *Pſal.* 123. 1. *Lam.* 3. 41.
[h] *Iſa.* 63. 15, 16. *Neh.* 1. 4, 5, 6.
[i] *Act.* 12. 5.

[k] *Matt.* 6. 9.
[l] 2 *Cor.* 3. 5. *Pſal.* 51. 15.
[m] *Pſal.* 67. 2, 3.
[n] *Pſal.* 83. 18.
[o] *Pſal.* 86, 10, 11, 12, 14, 15,
[p] 2 *Theſ.* 3. 1. *Pſal.* 147. 19, 20. *Pſal.* 138. 1, 2, 3. 2 *Cor.* 2. 14, 15.
[q] *Pſal.* 145. per totum. *Pſal.* 8. per totum.
[r] *Pſal.* 103. 1. *Pſal.* 19. 14.
[ſ] *Phil.* 1. 9, 11.
[t] *Pſal.* 67. 1, 2, 3, 4.
[u] *Eph.* 1. 17, 18.
[*] *Pſal.* 97. 7.
[x] *Pſal.* 74. 18, 22, 23.
[y] 2 *Reg.* 19. 15, 16.
[z] 2 *Chron.* 20, 6, 10, 11, 12. *Pſal.* 83. per totum. *Pſal.* 140. 4. 8.

R. In petitione prima, nempe [*Sanctificetur nomen tuum* [k]] omnimodã, in nobis reliquíſque hominibus univerſis, Deum, prout fas eſt, honorandi, impotentiam ac indiſpoſitionem agnoſcentes [l], oramus ut Deus per gratiam ſuam velit nos aliósq; potentes reddere ac inclinare ad eum cognoſcendum, agnoſcendũ, ſumméq; æſtimandum [m], ejúſque titulos [n], attributa [o], inſtituta, verbum [p], opera, & quicquid demum aliud ſit quo ipſe nobis manifeſtare ſe dignatur [q], prout etiam eum cogitatione, verbis [r], operibúsque glorificandum [ſ]; ut atheiſmum, [t] ignorantiam [u], idololatriam [*], impietatem [x], & quodcunque ipſius honori adverſatur [y], impedire velit ac amoliri; ut providentiâ ſuâ omnium gubernatrice, ad ſuam ipſius gloriam omnia dirigere velit ac diſponere [z].

Q. *Quid eſt quod petimus in petitione ſecunda?*

[a] *Matt.* 6. 10.

R. In ſecunda petitione, ſcil. [*Adveniat regnum tuum* [a]] noſmet ipſos totúmque humanum genus ſub peccati, Satanæque dominio naturâ conſtitutos [b]

tutos[b] agnoſcentes, oramus Deum ut regnum peccati Satanæque deſtruatur[c], ut evangelium per univerſum orbem propagetur[d]; Judæi vocentur[e], plenitudo Gentium ut introducatur[f], útque Eccleſia ſit Evangelicis cùm officiariis tum inſtitutis Divinis inſtructa[g], à corruptelis purgata[h], ut magiſtratum civilem Fautorem habeat & conſervatorem[i]; ut Chriſti inſtituta purè diſpenſentur fiántque efficacia, iis, qui in peccatis adhuc ſunt, convertendis, jam converſis verò confirmandis, conſolandis, ædificandíſque[k]; ut in cordibus noſtris hîc regnare velit Chriſtus[l], tempúſque adventûs ſui ſecundi adproperare, quoque nos cum ipſo regnemus unà in æternum[m]: útque ità velit potentiæ ſuæ regnum in univerſo orbe exercere, ut ad hoſce fines aſſequendos valere maximè poſſit & conducere[n].

Q. *Quid oramus in petitione tertia?*

R. In tertia petitione, viz. [*Fiat voluntas tua in terris ſicut & in cœlis*[o]] agno-

[b] *Eph.*2.2,3.
[c] *Pſal.*68.1,18. *Apoc.*12.10,11
[d] 2 *Theſſ.*3.1.
[e] *Rom.*10.1.
[f] *Joh.*17.9,20. *Rom.*11.25,26. *Pſal.*67, per totum.
[g] *Mat* 9.38. 2 *Theſſ.*3.1.
[h] *Mal.*1.11. *Zeph.*3.9.
[i] 1 *Tim.*2. 1,2.
[k] *Act.*4.29,30 *Eph.*6.18,19. 2C. *Rom.*15.29, 30.32. 2 *Theſſ.*1.11. 2 *Theſſ.*2.16,17
[l] *Eph.*3. 14,15, 16,17,18,19, 20.
[m] *Apoc.*22.20.
[n] *Iſa.*64.1,2. *Apoc.*4.8,9,10, 11.
[o] *Mat.*6.10.

agnoſcimus nos omnéſque homines naturâ eſſe non ſolùm divinæ voluntati tam cognoſcendæ quàm præſtandæ impares prorſus ac imparatos [p], verùm etiam proclives ad rebellandum adverſùs verbum Dei [q], atque adverſùs providentiam ejus obmurmurandum [r], addictóſque prorſus voluntati carnis ac Diaboli exequendæ [s]; quapropter oramus ut velit Deus per Spiritum ſuum, à nobis aliíſque cæcitatem omnem [t], debilitatem [u], indiſpoſitionem [*] ac perverſitatem cordis amovere [x], ac per gratiam ſuam nos potentes reddere promptóſque ad voluntatem ejus cognoſcendam præſtandámque, eíque in omnibus noſmetipſos ſubmittendum [y], ídque cum eadem humilitate [z], alacritate [a], fidelitate [b], diligentia [c], zelo [d], ſinceritate [e], ac conſtantia [f], quâ ſolent in cœlis Angeli [g].

p Rom.7.18.
Job.21.14.
1 Cor.2.14.
q Rom.8.7.
r Exod.17.7.
Num.14.2.
s Eph.1.2.
t Eph.1.17,18.
u Eph.3.16.
* Mat.26.40, 41.
x Jer.31.18,19
y Pſal.119.1,8, 35,36.
Act.21.14.
z Mic.6.8.
a Pſal.100.2.
Job.1.21.
2 Sam.15.25.
b Iſa.38.3.
c Pſal.119.4,5.
d Rom.12.11.
e Pſal.119.80.
f Pſal.119.112
g Iſa.6.2,3.
Pſal.103.20, 21.
Mat.18.10.

Q. *Quid eſt quod rogamus in petitione quarta?*

R. In petitione quarta, quæ ſic ſe habet [*Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie* [h]] agnoſcimus quidem

h Mat.6.11.

nos

nos cùm in Adamo, tum per proprium noſtrî peccatum ad externa hujuſce vitæ commoda omne jus noſtrum deperdidiſſe; ac iis omnibus ut Deus nos omnino exuat, earúmq; uſum nobis maledictum reddat commeruiſſe[i]: atque inſuper neque illas nos ſuſtentando pares à ſeipſis eſſe[k], neque nos illas ullo noſtro merito[l], aut induſtriâ[m] procurare poſſe; verùm pronós eſſe ad eas illicitè cupiendum[n], acquirendum[o], ac uſurpandum[p]; oramus igitur pro nobis aliíſque ut illi nóſque à providentia Dei licitorum uſu mediorum de die in diem dependentes, gratuito illius dono, ac prout paternæ ipſius ſapientiæ viſum fuerit, earum portione conveniente fruamur[q], eámque nobis conſervatam, ac ſancto jucundóque earum uſu[r], in eíſq; contentatione animi[ſ], benedictam habeamus: denique ut ab omnibus, quæ temporali noſtræ ſuſtentationi ac ſolatio adverſantur, cuſtodiamur[t].

[i] Gen. 2. 17. Gen. 3. 17. Rom. 8. 20, 21, 22. Jer. 5. 25. Deut. 28. 15. ad finem.
[k] Deut. 8. 3.
[l] Gen. 32. 10.
[m] Deut. 8. 17, 18.
[n] Jer. 6. 13. Marc. 7. 21, 22.
[o] Hoſ. 12. 7.
[p] Jac. 4. 3.
[q] Gen. 43. 12, 13, 14. Gen. 28. 20. Eph. 4. 28. 2 Theſſ. 3. 11, 12 Phil. 4. 6.
[r] 1 Tim. 4. 3, 4, 5.
[ſ] 1 Tim. 6. 6, 7, 8.
[t] Prov. 30. 8, 9.

Q. In petitione quinta quid eſt quod petimus?

R. In

R. In petitione quinta, quæ hujuſmodi eſt [*Remitte nobis debita noſtra, ſicut nos remittimus debitoribus noſtris* [u]] agnoſcentes noſmet aliósque omnes peccati tum originalis tum actualis reatu teneri, eóque juſtitiæ Divinæ factos eſſe debitores, próque eo debito neque nos, nec aliam creaturam quamviscunque ullatenus poſſe ſatisfacere [*]; pro nobis aliíſque petimus, ut è gratia ſua gratuita dignetur Deus nos per obedientiam ac ſatisfactionem Chriſti fide apprehenſam & applicatam abſolvere tam à reatu quàm à pœna peccati [x], nos in dilecto ſuo acceptare [y], favorem ſuum gratiámque nobis perpetua eſſe velit [z], lapſus noſtros quotidianos condonare [a], pace nos & gaudio implere augendo nobis indies remiſſionis certitudinem [b], quam eó certè rogamus confidentiùs, magíſque ad expectandum animamur ac erigimur, quòd hoc in nobis teſtimonium habeamus (atteſtante nobis conſcientiâ) nos aliis animitùs eorum in nos peccata condonare [c].

u Mat. 6. 12.

* Rom. 3. 9. ad 21. Mat. 18, 24, 25. Pſal. 130. 3, 4.

x Rom. 3. 24, 25, 26. Heb. 9. 22.

y Eph. 1. 6, 7.

z 2 Pet. 1. 2.

a Hoſ. 14. 2. Jer. 14. 7.

b Rom. 15. 13. Pſal. 51. 7, 8, 9, 10, 12.

c Luc. 11. 4. Mat. 6. 14, 15. Mat. 18. 35.

Q. *Quid*

Q. *Quid denique in petitione ſexta oramus Deum?*

R. In ſexta petitione, quæ hiſce verbis comprehenditur, [*Et nè nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo*[d]] agnoſcentes ſapientiſſimum, juſtiſsimum, gratioſiſſimúmque Deum, ità res ad varios, ſanctos, juſtósq; fines ordinare poſſe ut tentationes nos adoriantur, ſuperent, ac aliquando etiam captivos ducant[e]; quinetiam in proclivi eſſe ut à Satana[f], mundo[g], carnéque nos potenter ſeducamur, ac irretiamur[h]; nósque ipſos (porrò) vel poſt remiſſa nobis peccata, quà corruptione noſtrâ[i], quà debilitate, quâq; vigilandi incuriâ[k], non ſolùm obnoxios eſſe tentationibus, pronósque eſſe eiſdem nos exponere[l]; verùm etiam à nobiſmet-ipſis néque poſſe nec velle iis reſiſtere, ex iis emergere, eas ad noſtram utilitatem flectere[m], dignóſque adeò eſſe qui ſub earum potentia ſimus derelicti[g]: oramus ut ità velit Deus mundum, & quæ in eo ſunt omnia imperio regere[o]; carnem ſubjugare[p], Satanam coercere[q], cuncta diſponere[r],

[d] *Mat.*6.13.
[e] 2 *Chron.*32.31
[f] 1 *Chron.*21.1.
[g] *Luc.*21.34. Marc.4.19.
[h] *Jac.*1.14.
[i] *Gal.*5.17.
[k] *Mat.*26.41.
[l] *Mat.*26.69, 70, 71, 72. *Gal.*2.11.ad 15 2 *Chron.*18.3. cum 2 *Chron.* 19. 2.
[m] *Rom.*7, 23, 24 1 *Chron.*21.1, 2, 3, 4. 2 *Chron.*16.7, 8, 9, 10.
[n] *Pſal.*81. 11, 12.
[o] *Joh.*17.15.
[p] *Pſal.*51 10. *Pſal.*119. 133.
[q] 2 *Cor.*12.7, 8.

r 1 Cor. 10.12, 13. ſ Heb.13.20,21 re [r]; media gratiæ conferre ac benedícere [ſ], nóſque in eorum uſu vigilantes reddere; nempe ut nos ejúſque populus univerſus, tentationis ad peccatum immunes per providentiam ejus conſervemur [t], aut ſi fortè tentati fuerimus, ut Spiritu ejus nos in hora tentationis potenter ſuffulti conſiſtere valeamus [u]; aut ſi lapſi, ut erigamur denuo, ab eáque vindicemur [*], ejúſque uſum ſanctum ac utilitatem capiamus [x]: ut ſanctificatio noſtra ac ſalus perficiatur [y]; Satanas ſub pedibus noſtris conculcetur [z], nóſque à peccato, tentatione, omníque malo in æternum liberemur [a].

t Mat.26.41. Pſal.19.13. u Eph.3.14,15, 16, 17. 1 Theſſ.3.13. Judæ v.24, * Pſal. 51.12. x 1 Pet.5.8,9. 10. y 2 Cor.13.7, 9. z Rom.16.20. Zech.3.2. Luc. 22.31,32. a Job.17.15. 1 Theſſ.5.23.

Q. *Quid nos docet orationis Dominicæ concluſio?*

R. Concluſio Dominicæ orationis quam hæc verba complectuntur [*Quia tuum eſt regnum, potentia, & gloria, in ſecula ſeculorum. Amen* [b].] nos docet petitiones noſtras argumentis communire [c], quæ quidem à Deo ſunt [d], non autem à dignitate quavis noſtra, aut alîus cujusvis creaturæ depromenda, precibúſque noſtris laudes anne-

b Mat.6.13.

c Rom.15.30. d Dan.9.4,7, 8,9,16,17,18, 19,

annectere [e]; Deo ſoli æternum dominium, omnipotentiam, & excellentiam glorioſam aſcribendo [f]; quorum ratione, cùm ille nobis opem ferre & poteſt & vult [g], tum etiam nos per fidem incitamur cum eo agere ut velit [h], eíque quietè confidere quòd velit, petitiones noſtras adimplere [i]; quod quidem deſiderium noſtrum, & confidentiam, quò teſtemur, dicimus, AMEN [k].

[e] *Phil.*4.6.
[f] 1 *Chron.*29. 10,11,12,13.
[g] *Eph* 3.20,21. *Luc.* 11.13.
[h] 2 *Chron.* 20. 6,11.
[i] 2 *Chron.* 14. 11.
[k] 1 *Cor.*14. 16. *Apoc.*22.20,21

Cate-

Catechiſmus minor.

QUÆSTIO.

Q. *Uis hominis finis eſt præcipuus?*

R. Præcipuus hominis finis eſt, Deum glorificare [a], eodémque frui in æternum [b].

a 1 *Cor.* 10. 31. *Rom.* 11. 36. b *Pſal.* 73. 24. ad finem.

Q. *Quam nobis regulam dedit Deus, quâ nos ad ejus glorificationem ac fruitionem dirigamur?*

R. Verbum Dei (quod Scripturis Veteris ac Novi inſtrumenti comprehenditur [c]) eſt unica regula, quâ nos ad ejus glorificationem ac fruitionem dirigamur [d].

c 2 *Tim.* 3. 16. *Eph.* 2. 20. d 1 *Joh.* 1. 3, 4.

Q. *Quid eſt quod Scripturæ præcipuè docent?*

R. Duo imprimis ſunt quæ Scripturæ docent, quid homini de Deo ſit credendum, quidque officii exigat ab homine Deus [e].

e 2 *Tim.* 1. 13. & 3. 16.

Q. *Quid eſt Deus?*

f *Joh.*4.24, g *Exod.*3.14. h *Pſal.*147.5. i *Apoc.*4.8. k *Apoc.*15.4, l *Exod.*34. 6,7. m *Job.*11.7,8,9 n *Pſal.*90.2. o *Jac.*1.17.

R. Deus eſt Spiritus [f] eſſentiâ [g], ſapientiâ [h], potentiâ [i], ſanctitate [k], juſtitiâ, bonitate ac veritate [l] infinitus [m], æternus [n], ac immutabilis [o].

Q. *Súntne plures uno Deo?*

p *Deut.*6.4. *Jer.*10.10.

R. Unus eſt unicúsque, vivens ille verúsque Deus [p].

Q. *Quot ſunt perſonæ in Deitate?*

q 1 *Joh.*5.7. *Mat.*28.19.

R. In Deitate perſonæ tres ſunt, Pater, Filius, ac Spiritus Sanctus; ſúntq; hæ tres perſonæ Deus unus, ſubſtantiâ eædem, potentiâ ac gloriâ coæquales [q].

Q. *Quid ſunt decreta Dei?*

r *Eph.*1.4,11. *Rom.*9.22,23.

R. Decreta Dei ſunt æternum ejus propoſitum ſecundùm voluntatis ſuæ conſilium, quo quicquid unquam evenit, propter ſuam ipſius gloriam præordinavit [r].

Q. *Quomodo decreta ſua exequitur Deus?*

R. Deus exequitur decreta ſua creationis operibus ac providentiæ.

Q. *Quid eſt opus creationis?*

R. Opus creationis eſt quo Deus per verbum potentiæ ſuæ omnia ſex dierum

dierum ſpacio ex nihilo condidit, atq; omnia quidem valdè bona [s]. — [s] Gen.1.cap. Heb.11.3.

Q. *Qualem creavit Deus hominem?*

R. Deus hominem creavit marem ac fœminam, juxta ſuam ipſius imaginē, in cognitione, juſtitiâ, ac ſanctitate, dominium habentem in creaturas [t]. — [t] Gen.1.26, 27, 28. Col.3.10. Eph.4.24.

Q. *Quænam ſunt opera Divinæ providentiæ?*

R. Providentiæ Divinæ opera ſunt ſanctiſſima Dei [u], ſapientiſſima *, potentiſſimáq; creaturarum ſuárum omnium, earúmq; actionum [x] conſervatio [y] & gubernatio. — [u] Pſal.145.17. * Pſal.104.24. Iſa,28.29. [x] Pſal.103.19. Mat.10.29,30, 31. [y] Heb.1.3.

Q. *Quem peculiarem providentiæ ſuæ actum exercebat Deus circa hominem in ſtatu creationis ſuæ exiſtentem?*

R. Poſtquam Deus hominem condidiſſet, inibat cum illo fœdus vitæ, ſub conditione perfectæ obedientiæ; eſu de arbore ſcientiæ boni malíque ſub pœna mortis eidem interdicens [z]. — [z] Gal.3.12. Gen.2.17.

Q. *An verò Primi noſtri Parentes in quo creati fuerant ſtatu perſtitere?*

R. Primi Parentes voluntatis ſuæ libertati permiſſi peccando in Deum ſtatu in quo creati fuerant exciderunt [a].

[a] *Gen*, 3. 6, 7, 8, 13. *Eccles.* 7. 29.

Q. *Quid eſt peccatum?*

R. Peccatum eſt defectus quilibet conformitatis cum lege Divina, ſeu quævis ejuſdem tranſgreſſio [b].

[b] 1 *Joh.* 3. 4.

Q. *Quodnam erat peccatum iſtud quo primi parentes ſtatu in quo creati fuerant exciderunt?*

R. Peccatum iſtud quo primi parentes ſtatu in quo creati fuerant exciderunt, erat comeſtio fructûs interdicti [c].

[c] *Gen.* 3. 6, 12.

Q. *Totúmne genus humanum cecidit in prima Adami tranſgreſſione?*

R. Quandoquidem fœdus cum Adamo ictum fuerat non ſuo tantùm ſed & poſterorum ſuorum nomine; exinde factum eſt ut totum genus humanum ab illo generatione ordinariâ procreatum, in eo peccaverit, cúmq; eo ceciderit, in prima ejus tranſgreſſione [d].

[d] *Gen.* 2. 16, 17. *Rom.* 5. 12. 1 *Cor.* 15. 21, 22.

Q. *In quem verò ſtatum præcipitavit lapſus iſte humanum genus?*

R. Lapſus

R. Lapſus iſte humanum genus in ſtatum peccati ac miſeriæ præcipitavit [e].

[e] *Rom.*5.12.

Q. *In quo conſiſtit ſtatûs illius in quem lapſus eſt homo peccaminoſitas?*

R. Statûs in quem lapſus eſt homo peccaminoſitas conſiſtit in reatu primi illius peccati quod Adamus admiſit, in defectu originalis juſtitiæ, totiúsq; naturæ corruptione, quod *Peccatum originale* vulgò dicitur; una cum omnibus peccatis actualibus exinde profluentibus [f].

[f] *Rom.*5.12,19. *Rom.*5.10, ad 20. *Eph.*2.1,2,3. *Jac.*1.14,15. *Mat.*15.19.

Q. *Quæ miſeria eſt illius ſtatûs in quem homo lapſus eſt?*

R. Univerſum genus humanum lapſu ſuo communionem cum Deo perdidit [g], ſub ira ejus & maledictione eſt conſtitutum [h], adeóque cunctis hujus vitæ miſeriis, ipſi morti, inferníque cruciatibus in æternum eſt obnoxium [i].

[g] *Gen.*3.8,10,24.
[h] *Eph.*2.2,3. *Gal.*3.10.
[i] *Lam.*3.39. *Rom.*6.23. *Mat.*25.41,46.

Q. *An verò Deus humanum genus univerſum in ſtatu peccati ac miſeriæ periturum dereliquit?*

R. Deus cùm ex mero ſuo beneplacito nonnullos ad vitam æternam

[k] *Eph.*1.4. ab omni retrò æternitate elegiſſet [k], fœdus gratiæ cum eis iniit; ſe nempe liberaturum eos è ſtatu peccati ac miſeriæ, atq; in ſtatum ſalutis per redemptorem tranſlaturum [l].

[l] *Rom.*3.20,21,22. *Gal.*3 21,22.

Q. *Quis eſt Redemptor electorum Dei?*

R. Dominus Jeſus Chriſtus eſt electorum Dei Redemptor unicus [m], qui, æternus Dei Filius cùm eſſet, factus eſt homo [n]; adeóque fuit, eſt, eritque Θεάνθρωπος, è naturis duabus diſtinctis perſona unica in ſempiternum [o].

[m] 1 *Tim.*2.5,6. [n] *Joh.*1,14. *Gal.*4.4. [o] *Rom.*9.5. *Luc.*1.35. *Col.*2.9. *Heb.*7.24,25.

Q. *Quî autem Chriſtus, Filius Dei cùm eſſet, factus eſt homo?*

R. Chriſtus Filius Dei factus eſt homo, dum corpus verum [p], animámque rationalem [q] aſſumeret ſibi, vi Spiritûs Sancti in utero éque ſubſtantia Virginis Mariæ conceptus, & ex eadem natus [r], immunis tamen à peccato [ſ].

[p] *Heb.*2.14,16. & 10. 5. [q] *Mat.*26.38. [r] *Luc.*1. 27,31, 35,42. *Gal.* 4. 4. [ſ] *Heb.*4.15, & 7. 26.

Q. *Quæ munera Chriſtus ut Redemptor noſter obit?*

R. Chriſtus quatenus Redemptor noſter obit munera Prophetæ, Sacerdotis ac Regis, cùm in humiliationis

tum in exaltationis ſuæ ſtatu [r].

Q. *Quomodo Prophetæ munere defungitur Chriſtus?*

R. Chriſtus defungitur Prophetæ munere, voluntatem Dei in ſalutem noſtram nobis per verbum ſuum ſpiritúmque revelando [u].

Q. *Quâ ratione exequitur Chriſtus munus ſacerdotale?*

R. Chriſtus exequitur Sacerdotale munus, ſemet ipſum ſemel in ſacrificium offerendo, quo juſtitiæ divinæ ſatisfaceret [*], nóſque Deo conciliaret [x]; prout etiam perpetuò pro nobis intercedendo [y].

Q. *Quî exequitur Chriſtus munus Regium?*

R. Chriſtus exequitur munus Regium nos ſibi ſubjugando [z], nos gubernando [a], tuendóque [b], ut etiam hoſtes ſuos noſtróſque coercendo ac debellando [c].

Q. *In quo conſtitit Chriſti humiliatio?*

R. Humiliatio Chriſti in eo conſtitit quòd fuerit natus, & quidem humili conditione [d], factus ſub lege [e], quódque

[r] *Act.* 3.21,22. *Heb.* 12.25. cum 2 *Cor.* 13.3 *Heb.* 5.5,6,7. & 7.25. *Pſal.* 2.6. *Iſa.* 9.6,7. *Mat.* 21.5. *Pſal.* 2.8,9,10. 11.

[u] *Joh.* 1.18. 1 *Pet.* 1.10,11, 12. *Joh.* 15.15. & 20.31.

[*] *Heb.* 9.14,28

[x] *Heb.* 2.17.

[y] *Heb.* 7.24,25

[z] *Act.* 15.14, 15,16.

[a] *Iſa.* 33.22.

[b] *Iſa.* 32.1,2.

[c] 1 *Cor.* 15.25, *Pſal* 110. per totum.

[d] *Luc.* 2.7.

[e] *Gal.* 4 4.

f Heb.12.2,7. Iſa.53.2,3. quódque vitæ hujus miſerias [f], iram
g Luc.22.44. Dei [g] mortémque crucis execrabilem
Mat.27.46. ſubierit [h]; quòd ſepultus fuerit [i], & ſub
h Phil.2.8. poteſtate mortis aliquandiu commo-
i 1 Cor.15.3. ratus [k].
k Act.2.24,25, 26,27,31.

Q. *In quo conſiſtit Chriſti exaltatio?*

R. Exaltatio Chriſti conſiſtit in re-
l 1 Cor.15.4. ſurrectione ejus à mortuis tertio die [l],
m Marc.16.19. aſcenſu in cœlum [m], ſeſſione ad de-
n Eph.1.20. xtram Dei Patris [n], adventu ejus ad
o Act.1.11. & 17.31. mundum judicandum die noviſſimo [o].

Q. *Quâ ratione participes efficimur redemptionis per Chriſtum acquiſitæ?*

R. Redemptionis per Chriſtum acquiſitæ participes efficimur ejuſdem nobis efficaci per Spiritum ejus San-
p Tit.3.5,6. ctum [p], applicatione [q].
q Joh.1.11,12.

Q. *Quomodo nobis applicat Spiritus redemptionem per Chriſtum acquiſitam?*

R. Spiritus nobis applicat redem-
ptionem per Chriſtum acquiſitam fi-
r Eph.1.13,14. Joh.6.37,39. dem in nobis efficiendo [r], ac per ean-
Eph.2.8. dem nos Chriſto in vocatione noſtra
ſ Eph.3.17. efficaci uniendo [ſ].
1 Cor.1,9.

Q. *Quid eſt vocatio efficax?*

R. Vocatio efficax eſt Spiritûs Dei

opus [t],

opus [t], quo nos peccati ac miſeriæ noſtræ arguens [u], mentes noſtras cognitione Chriſti illuminans [*] voluntates noſtras renovans [x], prorſus nobis perſuadet, & vires ſufficit, ut Jeſum Chriſtum amplectamur, gratuitò nobis oblatum in Evangelio [y].

[t] 2 *Tim.* 1. 9. 2 *Theſ.* 2. 13, 14. [u] *Act.* 2. 37. [*] *Act.* 26. 18. [x] *Ezech.* 36. 26, 27. [y] *Joh.* 6. 44, 45. *Phil.* 2. 13.

Q. *Quænam beneficia in hac vita conſequuntur ii qui ſunt vocati efficaciter?*

R. Qui vocati ſunt efficaciter, juſtificationem [z], adoptionem [a], & ſanctificationem in hac vita conſequuntur, unà cum omnibus iis beneficiis quæcunq; ſolent in hac vita comitari illas, aut ab iiſdem promanare [b].

[z] *Rom.* 8. 30. [a] *Eph.* 1. 5. [b] 1 *Cor.* 1. 26, 30.

Q. *Quid eſt juſtificatio?*

R. Juſtificatio eſt actus gratiæ Dei gratuitæ, quo peccata nobis condonat omnia [c], nóſque tanquam juſtos in conſpectu ſuo acceptat [d], propter ſolam Chriſti juſtitiam nobis imputatam [e], per fidem tantùm apprehenſam [f].

[c] *Rom.* 3. 24, 25. & 4. 6, 7, 8. [d] 2 *Cor.* 5. 19, 21. [e] *Rom.* 5. 17, 18, 19. [f] *Gal.* 2. 16. *Phil.* 3. 9.

Q. *Quid eſt adoptio?*

R. Adoptio eſt actus gratiæ Dei gratuitæ [g], quo in numerum recipimur,

[g] 1 *Joh.* 3. 1.

ac

ac jus obtinemus ad omnia privilegia
h *Joh.* 1. 12. *Rom.* 8. 17. filiorum Dei [h],

Q. *Quid eſt ſanctificatio?*

R. Sanctificatio eſt opus gratiæ Dei
i 2 *Theſ.* 2. 13. gratuitæ [i], quo in toto homine ſecun-
k *Eph.* 4. 23, 24. dùm imaginem Dei renovamur [k], & potentes efficimur, qui magìs indies magíſque peccato quidem moriamur,
l *Rom.* 6. 4, 6. juſtitiæ autem vivamus [l].

Q. *Quænam ſunt illa beneficia quæ juſtificationem, adoptionem, & ſanctificationem in hac vita vel comitantur, vel ab eis promanant?*

R. Quæ juſtificationem, adoptionem, ac ſanctificationem in hac vita vel comitantur, vel ab eis promanant beneficia, ſunt certitudo amoris Dei,
m *Rom.* 5. 1, 2, 5. pax conſcientiæ [m], gaudium in Spiritu
n *Rom.* 14. 17. o *Prov.* 4. 18. Sancto [n], gratiæ incrementum [o], in eáq;
p 1 *Joh.* 5. 13. 1 *Pet.* 1. 5. ad finem uſque perſeverantia [p].

Q. *Quænam à Chriſto beneficia in morte percipiunt fideles?*

q *Heb.* 12. 23. R. Animæ fidelium in morte fiunt
r 2 *Cor.* 5. 1, 6, 8. *Phil.* 1. 2. perfectè ſanctæ [q], ac protinus in glo-
Luc. 23. 43. riam transferuntur [r]; corpora verò
ſ 1 *Theſ.* 4. 14. uſque Chriſto unita [ſ] in ſepulchris
t *Iſa.* 57. 2. [t] ad
u *Job.* 19. 26, 27 reſurrectionem [u] uſque quieſcunt.

Q. *Quæ*

Q. *Quæ tandem beneficia à Chriſto percipiunt fideles in reſurrectione?*

R. In reſurrectione fideles ſuſcitati in gloria*, palàm agnoſcentur & abſolventur in die judicii [x], fiéntque perfectè beati plenâ Dei [y] in omne æternum [z] fruitione.

* 1 Cor. 15.43. [x] Matt. 25.23. Matt. 10. 32. [y] 1 Joh. 3. 2. 1 Cor. 13.12. [z] 1 Theſ. 4. 17, 18.

Q. *Quid autem officii ac obſervantiæ ab homine expoſcit Deus?*

R. Officium quod ab homine Deus expoſcit, eſt obedientia voluntati ejus revelatæ exhibenda [a].

[a] Mich. 6. 8. 1 Sam. 15.22.

Q. *Quid homini primum revelavit Deus, quod foret ipſi obedientiæ regula?*

R. Obedientiæ regula, quam Deus homini primùm revelavit, erat Lex moralis [b].

[b] Rom. 2.14, 15. & 10. 5.

Q. *Ubinam ſummatim comprehenditur Lex moralis?*

R. Lex moralis ſummatim comprehenditur in Decalogo [c].

[c] Deut. 10. 4.

Q. *Dic quænam ſit Decalogi ſumma?*

R. Summa Decalogi eſt ut Dominum Deum noſtrum toto corde, totâ animâ, totâ mente, totiſque viribus noſtris

[d] *Matt.* 22. 37, 38, 39, 40.

ſtris diligamus; proximum verò noſtrum ſicut noſmet ipſos [d].

Q. *Quænam eſt Decalogi præfatio?*

R. Decalogi præfatio hiſce verbis continetur [*Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi è terra Ægypti, è domo ſervitutis* [e].]

[e] *Exod.* 20. 2.

Q. *Quid nos edocet Decalogi præfatio?*

R. Decalogi præfatio nos docet, quòd quoniam Deus eſt Dominus, noſtérque Deus ac redemptor, ea propter præcepta ejus omnia tenemur obſervare [f].

[f] *Luc.* 1. 74, 75. 1 *Pet.* 1. 15, 16, 17, 18, 19.

Q. *Quodnam eſt mandatum Primum?*

R. Mandatum primum eſt [*Non habebis Deos alios coram me* [g].]

[g] *Exod.* 20. 3.

Q. *In mandato primo quid exigitur?*

R. In mandato primo exigitur ut Jehovam eſſe unicum illum verúmque Deum, Deúmque noſtrum cognoſcamus ſimul & agnoſcamus [h], atque ut talem colamus, ac glorificemus [i].

[h] 1 *Chron.* 28. 9. *Deut.* 26. 17.
[i] *Matt.* 4. 10. *Pſal.* 29. 2.

Q. *Quid eſt quod prohibetur mandato primo?*

R. In

R. In primo mandato prohibetur veri Dei abnegatio [k], neglectúsque ipſum tanquam Deum [l], Deúmque noſtrum [m] colendi ac glorificandi; prout etiam cultum ac gloriam, illi ſoli debita alii cuivis tribuere aut exhibere [n].

Q. Quid imprimis docemur verbis iſtis mandati primi [Coram me?]

R. Verba iſthæc [*Coram me*] in mandato primo nos docent, Deum qui omnia intuetur, peccatum alium habendi Deum cùm imprimis advertere, tum verò eodem offendi plurimúm [o].

Q. Quodnam eſt præceptum ſecundum?

R. Secundum præceptum eſt [*Non facies tibi imaginem quamvis ſculptilem, aut ſimilitudinem rei cujuſvis quæ eſt in cœlis ſupernè, aut inferiùs in terris, aut in aquis infra terram; non incurvabis te iis, nec eis ſervies: ſiquidem ego Dominus Deus tuus Deus ſum zelotypus, viſitans iniquitates patrum in filios ad tertiam uſque quartámque progeniem oſorum mei, exhibens verò miſericordiam*

ad

[k] *Pſal.* 14. 1.
[l] *Rom.* 1. 21.
[m] *Pſal.* 81. 10, 11.
[n] *Rom.* 1. 25, 26.
[o] *Ezech.* 8. 5. ad finem.

ad millenas uſque diligentium me, ac mandata mea obſervantium [p].]

[p] Exod. 20. 4, 5, 6.

Q. *Quid exigitur in ſecundo precepto?*

R. Præceptum ſecundum exigit, ut cultus omnes ac inſtituta religionis quæcunque Deus in verbo ſuo conſtituit, excipiamus, obſervemus, pura denique ac integra cuſtodiamus [q].

[q] Deut. 32. 46. Matt. 28. 20. Act. 2. 42.

Q. *Quid eſt quod in ſecundo precepto prohibetur?*

R. Secundum præceptum interdicit nobis cultu Dei per ſimulacra [r], aut aliâ ratione quaviſcunque quam in verbo ſuo Deus non præſcripſit [f].

[r] Deut. 4. 15, 16 17, 18, 19. Exod. 32. 5, 8.
[f] Deut. 12. 31, 32.

Q. *Quænam ſunt rationes precepto ſecundo annexæ?*

R. Rationes ſecundo præcepto annexæ ſunt, ſupremum Dei in nos dominium [t], illius jus in nobis peculiare [u], zelúſque quo ſuum ipſius cultum proſequitur [*].

[t] Pſal. 95. 2, 3, 6
[u] Pſal. 45. 11.
[*] Exod. 34. 13, 14.

Q. *Age quodnam eſt tertium mandatum?*

R. Mandatum tertium ſic habetur [*Nomen Domini Dei tui inaniter non uſurpabis; non enim eum pro inſonte habebis*

bebit Dominus qui nomen ejus inaniter adhibuerit [x].] [x] *Exod.* 20, 7.

Q. *Quid exigitur in mandato tertio?*

R. Mandatum tertium exigit ut Dei nomina [y] titulos [z], attributa [a], inſtituta [b], verba [c], operáque [d] ſanctè ſummáque cum reverentia adhibeamus.

[y] *Matt.* 6. 9. *Deut.* 28. 58.
[z] *Pſal.* 68. 4.
[a] *Apoc.* 15. 3, 4.
[b] *Mal.* 1. 11, 14.
[c] *Pſal.* 138. 1, 2.
[d] *Job.* 36. 24.

Q. *Quid prohibetur mandato tertio?*

R. Mandatum tertium prohibet rei cujuſvis quâ Deus ſe notum facit, profanationem omnem ac abuſum [e].

[e] *Mal.* 1. 6, 7. 12. & 2. 2. & 3. 14.

Q. *Quænam eſt ratio ſubnexa mandato tertio?*

R. Ratio mandato tertio ſubnexa eſt, quòd licèt hujus præcepti violatores ab hominibus quandóque nil ſupplicii ferant, nihilominus tamen Dominus Deus noſter eos juſtum ejus judicium neutiquam patietur ſubterfugere [f].

[f] 1 *Sam.* 2. 12. 17. 22, 29. 1 *Sam.* 3. 13. *Deut.* 28. 58, 59.

Q. *Recita mandatum quartum.*

R. Mandati quarti verba ſunt iſthæc [*Memineris diem Sabbati ut ſanctifices*

eum;

eum; ſex diebus operaberis & facies omne opus tuum, ſeptimus verò dies ſabbatum eſt Domini Dei tui, opus in eo nullum facies tu, neque filius tuus, neque filia tua, nec ſervus tuus, nec ancilla tua, neque jumentum tuum, nec hoſpes tuus quicunque intra portas tuas commoratur: Nam ſex diebus perfecit Dominus cælum terrámque, mare, & quicquid in illis continetur, ſeptimo verò die requievit, quamobrem benedixit Dominus diei ſabbati, eúmque ſanctificavit [g]*?*]

[g] Exod. 20. 8, 9, 10, 11.

Q. *Quid à nobis exigit mandatum quartum?*

R. Quartum mandatum à nobis exigit, ut ſtatum illud tempus quod in verbo ſuo deſignavit Deus, ſanctum ei obſervemus; integrum nempe Diem è ſeptenis unum in ſanctum illi ſabbatum celebrandum [h].

[h] Deut. 5. 12, 13, 14.

Q. *E ſeptenis autem quem diem ſabbato hebdomadario deſignavit Deus?*

R. Deus hebdomadario ſabbato deſignavit ſeptimum diem hebdomadæ ab initio mundi uſque ad Chriſti reſurrectionem, exinde verò ad finem uſq; mundi duraturum, diem ſeptimanæ

næ primum, quod eſt ſabbatum Chriſtianum [i]. [i] *Gen.* 2. 2, 3. 1 *Cor.* 16. 1, 2. *Act.* 20. 7.

Q. *Quî autem eſt ſabbatum ſanctificandum?*

R. Sabbatum eſt ſanctificandum diem illum integrum ſanctè quieſcendo [k], etiam à negotiis & recreationibus mundanis, aliis quidem diebus haud illicitis [l]; totúmque illud temporis (præterquam quod operibus neceſſitatis ac miſericordiæ inſumendum fuerit [m]) cultûs Divini exercitiis publicis privatíſque impendendo [n].

[k] *Exod.* 20. 8, 10. [l] *Exod.* 16. 25, 26, 27, 28. *Neh.* 13. 15, 16, 17, 18, 19, 21, 22. [m] *Matt.* 12. 1. ad 13. [n] *Luc.* 4. 16. *Act.* 20. 7. *Pſal.* 92. Tit. *Iſa.* 66. 23.

Q. *Quid prohibetur in mandato quarto?*

R. Mandatum quartum prohibet officiorum quæ inibi requiruntur, cùm omiſſionem tum præſtationem negligentem [o]; prout etiam ejus diei profanationem qualemcunque, ſive illum otiosè conſumendo [p], ſive quod in ſe peccatum eſt faciendo [q], ſeu denique circa mundana negotia vel recreationes cogitationibus, dictis, factíſve non-neceſſariis [r].

[o] *Ezech.* 22. 26. *Amos.* 8. 5. *Mal.* 1. 13. [p] *Act.* 20. 7, 9. [q] *Ezech.* 23. 38. [r] *Jer.* 17. 24, 25, 26. *Iſa.* 58. 13.

Q. *Quænam ſunt quarto præcepto rationes annexæ?*

R. Rationes quarto præcepto annexæ ſunt iſtiuſmodi; quoniam è ſeptimana qualibet ſex dies conceſſerit nobis Deus noſtris ipſorum negotiis inſumendos [s]; quoniam in ſeptimo jus ſibi vendicat peculiare; quoniam Deus exemplo ſuo nobis præivit, ac diei ſabbati benedixit [t].

[s] *Exod.* 20. 9.
[t] *Exod.* 20. 11.

Q. *Quodnam eſt præceptum quintum?*

R. Quintum præceptum eſt hujuſmodi [*Honora patrem tuum ac matrem tuam ut prolongentur dies tui in terra illa quam tibi largitur Dominus Deus tuus* [u].]

[u] *Exod.* 20. 12.

Q. *Quid eſt quod jubemur mandato quinto?*

R. Mandatum quintum nos jubet honorem conſervare, ac officia perſolvere unicuique pro ratione ordinis ac relationis in quibus fuerit exhibenda, ſeu ſuperior nobis ſiet [*], ſive inferior [x], ſive denique æqualis [y].

[*] *Eph.* 5. 21.
[x] 1 *Pet.* 2. 17.
[y] *Rom.* 12. 10.

Q. *Quid eſt quod mandatum quintum vetat?*

R. Quintum mandatum vetat honorem, officiúmque ſingulis debitum

pro

pro ratione ordinis ac relatione in quibus fuerint, aut negligere, aut adversùs ea quicquam machinari [z]. [z] Matt. 15.4, 5, 6. Ezech. 34. 2, 3, 4. Rom. 13. 8.

Q. *Quæ ratio ſubnectitur quintò præcepto?*

R. Ratio quinto præceptô ſubnexa eſt promiſſio longævitatis, proſperitatíſque (quatenus nempe Dei gloriæ ipſorúmque conducant utilitati) omnibus facta hoc præceptum obſervantibus [a]. [a] Deut. 5. 16. Eph. 6. 2, 3.

Q. *Cedò mandatum ſextum?*

R. Mandatum ſextum hiſce verbis comprehenditur [*Non occîdes* [b]. [b] Exod. 20. 13.

Q. *Quid à nobis exigit mandatum ſextum?*

R. Exigit à nobis mandatum ſextum, ut vitam cùm noſtram [c] tum aliorum [d] honeſtis quibuſcunque rationibus tueamur. [c] Eph. 5.28, 29. [d] 1 Reg. 18. 4.

Q. *Quid verò prohibet ſextum mandatum?*

R. Sextum mandatum prohibet vitam nobiſmet ipſis, aut injuſtè proximo vitam adimere, aut quidvis quod eò tendat agere [e]. [e] Act. 16. 28. Gen. 9. 6.

Q. *Quodnam eſt mandatum ſeptimum?*

R. Mandatum ſeptimum hæc verba complectuntur [*Non mœchaberis*[f].]

[f] Exod. 20, 14.

Q. *Quid exigitur mandato ſeptimo?*

R. Mandatum ſeptimum exigit ut tam noſtram quàm proximorum caſtitatem animo, ſermone, geſtúque conſervemus[g].

[g] 1 Cor. 7, 2, 3, 5, 34, 36. Col. 4. 6. 1 Pet. 3. 2.

Q. *Quid prohibetur mandato ſeptimo?*

R. Septimum mandatum prohibet cogitationes, ſermones actionéſque omnes impudicas[h].

[h] Matt. 15. 19. & 5. 28. Eph. 5. 3, 4.

Q. *Quodnam eſt præceptum octavum?*

R. Præceptum octavum hoc eſt [*Non furaberis*[i].]

[i] Exod. 20. 15.

Q. *Mandatum octavum quid à nobis exigit?*

R. Octavum mandatum à nobis exigit, facultates ac rem externam noſtrî aliorúmque ut procuremus ac promoveamus[k].

[k] Gen. 30. 30. 1 Tim. 5. 8. Lev. 25. 35. Deut. 22. 1, 2, 3, 4, 5. Exod. 23. 4, 5. Gen. 47. 14, 20.

Q. In

Q. *In octavo præcepto quid prohibetur?*

R. Octavum mandatum prohibet quicquid noſtris aut proximorum noſtrorum opibus rebúsque externis injuſto aut eſt aut eſſe poſſit impedimento [l]. [l] *Prov.* 21. 17. & 23. 20, 21. & 28. 19. *Eph.* 4. 28.

Q. *Quodnam eſt præceptum nonum?*

R. Præceptum nonum ſic ſe habet [*Non eris adversùs proximum tuum teſtis mendax* [m].] [m] *Exod.* 20. 16.

Q. *Quid à nobis exigit præceptum nonum?*

R. Præceptum nonum id à nobis exigit ut veritatem inter homines mutuò [n], útque bonum nomen & exiſtimationem cùm noſtrî tum proximorum noſtrorum conſervemus ac promoveamus [o], cum primis verò in ferendo teſtimonio [p]. [n] *Zech.* 8. 16. [o] 3 *Joh.* v. 12. [p] *Prov.* 14. 5, 25

Q. *Quid prohibetur nono præcepto?*

R. Nonum præceptum prohibet quicquid eſt aut veritati inimicum; aut exiſtimationi noſtrî vel proximorum noſtrorum injurium [q]. [q] 1 *Sam.* 17. 28. *Lev.* 19. 16. *Pſal.* 15. 3.

 Q. *Quale*

Q. *Quale eſt mandatum Decimum?*

R. Mandatum decimum hæc verba exhibent [*Non concupiſces proximi tui domum, non concupiſces proximi tui uxorem, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, neque aliud denique quicquam quod eſt proximi tui* [r].]

r Exod. 20. 17.

Q. *In decimo præcepto quid exigitur?*

R. Præceptum decimum exigit ut ſorti noſtræ plenè acquieſcamus [s], útq; in proximum & quæcunque ſunt ejùs debitè, benevoléque afficiamur [t].

s Heb. 13. 5. 1 Tim. 6. 6.
t Job. 31. 29. Rom. 12. 15. 1 Tim. 1. 5. 1 Cor. 13. 4, 5, 6, 7.

Q. *Quæ prohibentur decimo mandato?*

R. Mandatum decimum prohibet rerum noſtrarum diſplicentiam [u], invidiam ac dolorem de bono proximi [*], unà cum animi noſtri motibus & affectionibus circa ea quæ proximi ſunt inordinatis quibuſcunque [x].

u 1 Reg. 21. 4. Eſth. 5. 13. 1 Cor. 10. 10.
* Gal. 5. 26. Jac. 3. 14, 16.
x Rom. 7. 7, 8. & 13. 9. Deut. 5. 21.

Q. *Quiſquámne potis eſt mandata Dei perfectè obſervare?*

R. Poſt lapſum nemo extat humanâ tantùm naturâ conſtans, qui mandata Dei perfectè in hac vita implere poteſt [y], quò minùs ea quotidie tum cogitatione

y Eccleſ. 7. 20. 1 Joh. 1. 8, 10. Gal. 5. 17.

cogitatione, tum dictis factíſque violet [z].

Q. *An verò ſunt omnes violationes legis ex æquo graves?*

R. Peccata ſunt nonnulla aliis cùm ſuâ naturâ, tum propter varias eorum aggravationes in conſpectu Dei graviora [a].

Q. *Quid eſt quod meretur peccatum unumquodque?*

R. Unumquodque peccatum iram Dei meretur ac maledictionem cùm in vita præſenti, tum in futura [b].

Q. *Quid autem exigit à nobis Deus, quò nobis ob peccatum debitas iram ejus ac maledictionem effugiamus?*

R. Quò iram Dei ac maledictionem ob peccatum nobis debitas effugiamus, exigit à nobis Deus fidem in Jeſum Chriſtum, reſipiſcentiam ad vitam [c], unà cum uſu mediorum omnium externorum diligenti, quibus Chriſtus nobis communicat redemptionis ſuæ beneficia [d].

Q. *Quid eſt fides in Jeſum Chriſtum?*

R. Fides in Jeſum Chriſtum eſt

[z] *Gen.* 6. 5. & 8. 21. *Rom.* 3. 9. ad 21 *Jac.* 3. 2. ad 13.

[a] *Ezech.* 8. 6, 13, 15. 1 *Joh.* 5. 6. *Pſal.* 78. 17, 32, 56.

[b] *Eph.* 5. 6. *Gal.* 3, 10. *Lam.* 3. 39. *Matt.* 25. 41.

[c] *Act.* 20. 21.

[d] *Prov.* 2. 1. ad 6. & 8. 33. ad finem. *Iſa.* 55. 3.

[e] Heb. 10. 39.
[f] Joh. 1. 12.
Iſa. 26. 3, 4.
Phil. 3. 9.
Gal. 2. 16.

gratia ſalvifica [e], quâ illum recipimus, eóque ſolo nitimur ut ſalvi ſimus, prout ille nobis offertur in evangelio [f],

Q. *Quid eſt reſipiſcentia ad vitam?*

R. Reſipiſcentia ad vitam eſt gratia ſalvifica [g], quâ peccator è vero peccati ſui ſenſu [h], ac apprehenſione divinæ in Chriſto miſericordiæ [i], dolens ac peroſus peccatum ſuum ab illo ad Deum convertitur [k], cum novæ obedientiæ pleno propoſito & conatu [l].

[g] Act. 11. 18.
[h] Act. 2. 37, 38.
[i] Joel. 2. 12.
Jer. 3. 22.
[k] Jer. 31. 18, 19.
Ezech. 36. 31.
[l] 2 Cor. 7. 11.
Iſa. 1, 16, 17.

Q. *Quænam ſunt externa media, quibus Chriſtus nobis communicat redemptionis ſuæ beneficia?*

R. Media externa ac ordinaria quibus Chriſtus nobis communicat redemptionis ſuæ beneficia ſunt ejus inſtituta, verbum præſertim, ſacramenta, & oratio; quæ quidem omnia electis redduntur efficacia ad ſalutem [m].

[m] Matt. 28. 19, 20.
Act. 2. 42, 46, 47.

Q. *Quâ ratione fit verbum efficax ad ſalutem?*

R. Spiritus Dei lectionem verbi, præcipuè verò prædicationem ejus reddit medium efficax convincendi,

convertendíque peccatores, eosdémq; in ſanctimonia & conſolatione ædificandi per fidem ad ſalutem [n]. [n] *Neh.*8.8. 1 *Cor.*14.24, 25. *Act.*26.18. *Pſal.*19.8. *Act.*20.32. *Rom.*15.4. 2 *Tim.*3.15, 16, 17.

Q. *Quomodo legi debet ac audiri verbum, ut evadat efficax ad ſalutem?*

R. Quò verbum evadat efficax ad ſalutem, debemus ei cum præparatione [o], ac oratione [p] diligenter attendere [q]; idémque fide excipere ac amore [r], in animis noſtris recondere [s], ac in vita noſtra exprimere [t]. *Rom.*10.13, 14, 15, 16, 17. & 1. 16. [o] 1 *Pet.*2, 1, 2. [p] *Pſal.* 119.18. [q] *Prov.*8.34. [r] *Heb.*4.2. 2 *Theſſ.*2.10. [s] *Pſal.*119.11. [t] *Luc.*8.15. *Jac.*1.25.

Q. *Qui evadunt ſacramenta media efficacia ad ſalutem?*

R. Sacramenta evadunt efficacia ad ſalutem media, non ullâ in ipſis vi, nec in eo qui illa adminiſtrat; verùm Chriſti ſolummodo benedictione [u], ac Spiritûs ejus in iis qui illa per fidem recipiunt operatione [*]. [u] 1 *Pet.*3.21. *Mat.*3.11. 1 *Cor.*3.6, 7. * 1 *Cor.*12.13.

Q. *Quid eſt Sacramentum?*

R. Sacramentum eſt ordinatio ſacra à Chriſto inſtituta, in qua fidelibus per ſigna in ſenſus incurrentia Chriſtus novíque fœderis beneficia repræſentantur, obſignantur, & applicantur [x]. [x] *Gen.*17.7, 10. *Exod.* 12.cap. 1 *Cor.*11.23, 26

Q. *Quænam ſunt ſacramenta Novi Teſtamenti?* *R.* Sa-

y *Mat.*28.19. z *Mat.*26.26, 27, 28.

R. Sacramenta Novi Teſtamenti ſunt Baptiſmus[y] ac Cœna Domini[z].

Q. *Quid eſt Baptiſmus?*

a *Matt.* 28.19. b *Rom.*6.4. *Gal.*3.27.

R. Baptiſmus eſt Sacramentum, in quo ablutio per aquam in nomine Patris ac Filii ac Spiritûs Sancti[a], noſtram in Chriſtum inſitionem, ut & beneficiorum fœderis gratiæ participationem, paĉtúmque noſtrum, nos nempe Domini futuros eſſe totos, ſignificat obſignátque[b].

Q. *Quibus eſt Baptiſmus adminiſtrandus?*

c *Act.*8.36,37. & 2. 38. d *Act.*2.38,39. *Gen.*17.10. cum *Col.* 2. 11, 12. 1 *Cor.*7.14.

R. Baptiſmus non eſt adminiſtrandus quibuſquam extra Eccleſiam viſibilem conſtitutis, donec ſe in Chriſtum credere, eíque obedientes fore profeſſi fuerint[c]; verùm infantes eorum, qui membra ſunt Eccleſiæ viſibilis ſunt baptizandi[d]

Q. *Quid eſt cœna Domini?*

R. Cœna Domini eſt Sacramentum, in quo pane ac vino ſecundùm Chriſti inſtitutum datis acceptíſque, mors ejus oſtenditur; quæ qui dignè participant, corporis ejus & ſanguinis (non quidem corporeo & carnali modo, verùm) per fidem fiunt partici-

pes,

pes, omniúmque ipſius beneficiorum, ad nutritionem ſuam ſpiritualem ſuúmque in gratia incrementum [e]. [e] 1 *Cor.* 11.23, 24, 25, 26, & 10. 16.

Q. *Ut dignè quis participet cœnam Dominicam quid requiritur?*

R. Qui cœnam Dominicam dignè cupiunt participare, requiritur ut ſemet examinent, cùm de cognitione ſua, quâ corpus Domini valeant diſcernere [f], tum de fide ſua, quâ veſcantur ipſo [g], tum etiam de reſipiſcentia ſua [h], amore [i] ac obedientia nova [k]; nè fortè indigni ſi advenerint, judicium edant bibántque ſibimet ipſis [l]. [f] 1 *Cor.* 11.28, 29. [g] 2 *Cor.* 13. 5. [h] 1 *Cor.* 11.31. [i] 1 *Cor.* 10. 16, 17. [k] 1 *Cor.* 5.7,8. [l] 1 *Cor.* 11. 28, 29.

Q. *Quid eſt precatio?*

R. Precatio eſt quâ petitiones noſtras pro rebus divinæ voluntati congruis offerimus Deo [m], in nomine Chriſti [o], unà cum peccatorum noſtrorum confeſſione [p], & grata beneficiorum ejus agnitione [q]. [m] *Pſal.* 62.8. [n] 1 *Joh.* 5. 14. [o] *Joh.* 16.23. [p] *Pſal* 32.5,6. *Dan.* 9.4. [q] Phil. 4.6.

Q. *Quam nobis regulam præſcripſit Deus precibus noſtris dirigendis?*

R. Totum Dei verbum utile eſt nobis in oratione dirigendis [r]; ſpecialis verò directionis norma eſt illa orationis formula quam diſcipulos ſuos edocuit [r] 1 *Joh.* 5.14.

s Mat.6.9,10, 11,12,13. cum Luc. 11.2, 3,4.

docuit Chriſtus, *Oratio Dominica* quæ vulgò dicitur [s].

Q. *Quid nos docet orationis Dominicæ præfatio?*

t Mat.6.9.

R. Orationis Dominicæ præfatio, nempe [*Pater noſter, qui es in cœlis*[t]] nos docet accedere ad Deum cum omni ſancta reverentia ac confidentia, tanquam filios ad patrem, qui & potis eſt & paratus nobis opitulari [u]; prout etiam cum aliis atq; pro aliis orare [*].

u Rom.8.15. Luc.11.13. * Act.12.5. 1 Tim.2.1,2.

Q. *Quid eſt quod oramus in petitione prima?*

x Mat.6.9.

R. In petitione prima, ſcil. [*Sanctificetur nomen tuum* [x]] oramus ut efficere velit Deus, ut eum nos aliíq;, in eis, quibuſcunque ſe notum nobis facit, glorificare valeamus [y]; atque ad ſuam ipſius gloriam omnia dirigere velit ac diſponere [z].

y Pſal.67. 2,3. z Pſal.85. per totum.

Q. *Quid petimus in ſecunda petitione?*

a Mat.6.10.

R. In petitione ſecunda, quæ hujusmodi eſt [*adveniat regnum tuum* [a]] petimus ut deſtruatnr regnum Satanæ [b], gratiæ verò regnum ut promoveatur [c], ut nos aliíque in eo ſimus cùm conſtituti tum conſervati nè excidamus,

b Pſal.68.1,18 c Apoc.12.10, 11.

damus [d], útque regnum gloriæ velit Deus adproperare [e].

[d] 2 *Theſſ.*3.1. *Rom.*10.1. *Job.*17.9,20.
[e] *Apoc.*22.20.

Q. *In petitione tertia quid precamur?*

R. In petitione tertia, ſc. hiſce verbis [*Fiat voluntas tua in terris ſicut in cœlis* [f]] precamur efficere velit Deus, ut nos per gratiam voluntatem ejus tum cognoſcere, tum ei in omnibus obtemperare [g], & nos ſubmittere, id quod in cœlis faciunt Angeli, & valeamus & velimus [h].

[f] *Mat.*6.10.
[g] *Pſal.*67. per totum. *Pſal.*119.36. *Mat.*26.39. 2 *Sam.*15.25. *Job.*1.21.
[h] *Pſal.*103.20, 21.

Q. *Quid oramus in petitione quarta?*

R. In quarta petitione, quæ ſic habetur [*Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie* [i]] oramus ut è donatione Dei gratuitâ, bonorum quæ hujus vitæ ſunt portionem idoneam obtineamus, ejúsque unà cum iis benedictione perfruamur [k].

[i] *Mat.*6.11.
[k] *Prov.*30.8,9. *Gen.*28.20. 1 *Tim.*4.4,5.

Q. *Quid precamur in petitione quinta?*

R. In petitione quinta, cujus verba ſunt [*Ac remitte nobis debita noſtra, ſic ut nos remittimus debitoribus noſtris* [l]] precamur ut Deus peccata noſtra omnia gratìs velit propter Chriſtum condonare [m], quod quidem ut petamus eò magis animus nobis ſit, quòd aliis animitùs

[l] *Mat.*6.12.
[m] *Pſal.*51.1,2, 7, 9. *Dan.*9.17,18, 19.

[n] *Luc.*11.4. *Mat.*18.35. mitùs condonare gratiâ ipſius auxiliante valeamus [n].

Q. *Quid petimus in ſexta petitione:*

R. In petitione ſexta, quam hæc verba complectuntur [*Et nè nos inducas in tentationem; ſed libera nos à malo* [o]] oramus ut velit nos Deus aut immunes à tentatione ad peccatum conſervare [p], aut certè tentatos ſuffulcire ac liberare [q].

[o] *Mat.* 6.13. [p] *Mat.*26.41. [q] 2 *Cor.*12.7,8.

Q. *Quid nos docet orationis Dominicæ concluſio?*

R. Orationis Dominicæ concluſio [*Quia tuum eſt regnum, potentia & gloria, in ſecula,* AMEN [r]] Nos docet animos ac confidentiam nobis in orando à ſolo Deo derivare [s], eúmque in precibus noſtris laudare, regnum ei, potentiam, ac gloriam tribuendo [t]; quóque deſiderium noſtrum teſtemur, & exauditionis confidentiam, dicimus, AMEN [u].

[r] *Mat.*6.13. [s] *Dan.*9.4,7,8,9,16,17,18,19 [t] 1 *Chron.*29.10,11,12,13. [u] 1 *Cor.*14.16. *Apoc.*22.20,21

Deca-

Decalogus.

Exod. 20.

LOcutus eſt Deus omnia hæc verba, dicendo; Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi è terra Ægypti, è domo ſervitutis.

I. Non habebis deos alios coram me.

II. Non facies tibi imaginem quamvis ſculptilem, aut ſimilitudinẽ rei cujuſvis quæ eſt in cœlis ſupernè, aut inferiùs in terris, aut in aquis infrà terram; non incurvabis te iis, nec eis ſervies: ſiquidem ego Dominus Deus tuus Deus

ſum

ſum zelotypus, viſitans iniquitates patrum in filios ad tertiam uſque quartámq; progeniem oſorum mei, exhibens verò miſericordiam ad millenas uſque diligentium me ac mandata mea obſervantium.

III. Nomen Domini Dei tui inaniter non uſurpabis; non enim eum pro inſonte habebit Dominus qui nomen ejus inaniter adhibuerit.

IV. Memineris diem Sabbati ut ſanctifices eum; ſex diebus operaberis, & facies omne opus tuum, ſeptimus verò dies ſabbatum eſt Domini Dei tui, opus in eo nullum facies tu, neque ſervus tuus, nec ancilla tua, neque jumentum tuum, nec hoſpes tuus qui-

cunque intra portas tuas commoratur : Nam ſex diebus perfecit Dominus cœlum, terrámque, mare, & quicquid in illis continetur ; ſeptimo verò die requievit ; quamobrem benedixit Dominus diei ſabbati, eúmque ſanctificavit.

V. Honora patrem tuum ac matrem tuam, ut prolongentur dies tui in terra illa quam tibi largitur Dominus Deus tuus.

VI. Non occîdes.

VII. Non mæchaberis.

VIII. Non furaberis.

IX. Non eris adversùs proximum tuum teſtis mendax.

X. Non concupiſces proximi tui domum, non concupiſces proximi tui uxorem, non

ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, neque aliud denique quicquam quod eſt proximi tui.

Oratio Dominica.

Matth. 6.

PAter noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua in terris ſicut in cœlis, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ac remitte nobis debita noſtra, ſicut nos remittimus debitoribus noſtris, & nè nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo, quia tuum eſt regnum, potentia & gloria, in ſecula. *Amen.*

Symbolum.

*CRedo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli ac terræ; & in Jeſum Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum; qui conceptus eſt è Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine: paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus: deſcendit ad inferos *: tertio die reſurrexit à mortuis: aſcendit in cœlum, & ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: unde venturus eſt ad judicandum vivos & mortuos. Credo in Spiritum Sanctum: Sanctam Eccleſiam catholicam: Sanctorum communionem: remiſsionem peccatorum, reſurrectionem corporis, & vitam æternam.* Amen.

* *i.e.* permanſit in ſtatu mortuorum, & ſub poteſtate mortis uſque ad diem tertium.

EQuæſtione qualibet utriuſq; Catechiſmi repetitum dedimus in reſponſione quantum reſponſionem quamlibet reddat propoſitionem integram, ſive ſententiam abſolutam. Eo nempe conſilio ut diſcenti ulteriùs utilis eſſe poſsit, quoties occaſio tulerit, ad cognitionis ac pietatis incrementum, vel extra catechiſandi rationem.

Et quamvìs in alterutro Catechiſmo ſubſtantia doctrinæ in compendio illo (*Symbolo Apoſtolico* vulgò dicto) comprehenſæ plenè ac perfectè exhibeatur, adeò quidem ut nulla ſuperſit neceſsitas ſymbolum ipſum inſerendi: nihilominus tamen hîc illud ſub-

ſubnectendum eſſe duximus; non perinde quaſi aut ab ipſis Apoſtolis fuerit concinnatum, aut pariter cum decalogo ac oratione Dominica pro Scriptura canonica haberi debeat: (Ne-dum certè pro oratione, quo nomine ignara plebecula cùm illud tum decalogum in proclivi fuit ut uſurparet) verùm quòd ſit fidei Chriſtianæ breve compendium, verbo Dei conſentaneum, ac in Eccleſiis Chriſti antiquitùs receptum.

FINIS.

10-3-1